HORATII DE FLORIANIS
M. E. P. EPISTOLA,

Qua *plus Centum*, *& Quinquaginta Errores* oſtenduntur in recenti Libro inſcripto *Oculorum*, *& Mentis Vigiliæ ad diſtinguendum Studium Anatomicum*, *& ad Praxim Medicam dirigendam*;

Nec non

Inclyti Viri, Philoſophi, Medici, & Anatomicorum noſtræ ætatis facilè Principis

MARCELLI MALPIGHII

Innumeri loci propugnantur, & exponuntur.

IN EADEM

PLVRES ALII RECENTIORES

Obiter defenduntur, & emendantur.

Huic præfixa eſt quaſi vice Præfationis

ALTERA EPISTOLA

In illud idem Argumentum

A LVCA TERRANOVA M. S.

Inueniet in vtraque Lector multa ad eiuſdem Celeberrimi Malpighij *Vitam, atque Opera attinentia, nunquam anteà edita.*

ROMÆ, MDCCV. Typis Ioannis Franciſci Buagni.
SVPERIORVM FACVLTATE.

Sumptibus eiuſdem Bibliopolæ, & Sociorum.

EMIN.MO AC REV.MO PRINCIPI

FABRITIO

TIT. SS. IOH., ET PAVLI

PRESBYT.

S. R. E. CARDINALI

PAVLVTIO

A Secretis Status

SANCTISS. DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS XI.

IOH. FRANCISCVS BVAGNI BIBLIOP. FELICITATEM.

DVO potissimum, PRINCEPS EMIN.ME, vt apologeticas hasce epistolas ab

Horatio de Florianis, nec non à Luca Terranoua conſcriptas, Tibi nuncuparem, vehementer me impulerunt: ſumma in primis (vt de ſingulari, ac vetuſto generis tui ſplendore, auitâque munificentiâ taceam) morum probitas, atque humanitas tua, quæ ſuo quodam iure videtur ad ſe allicere vindicias laudum, virtutumque, quibus, æternum duraturis, magnus ille Malpighius, non minùs doctrinâ, quàm animo candidus, mirificè exornabatur; qui, vt de ſuo ſcripſit Agricola Tacitus, retinuit, quod eſt difficillimum, ex ſapientia modum: nihil quippe in ipſo

(quem Vrbs Roma postremis vitæ suæ annis accersiuit, excepit, coluit, & mirata est) tumidum, arrogans, aut in rebus à se recenter detectis, nouum fuit. Deinde verò, cum Tu Arcanis Pontificijs tantâ cum laude præsis, tuoque ministerio vndecumque per vniuersum Terrarum Orbem illius diffundas Oracula PRINCIPIS, cui noster, quem Tibi vindicatum offerimus, Philosophus tam egregiam, faustamque operam præstitit, quando viuens consilio suo eiusdem valetudinem in immortale Orthodoxæ Fidei emolumentum regebat; quem sanè Te hoc obse-

quio

quio digniorem, opportuniorem-que vſquam gentium inuenirem? Quâ igitur benignitate optima quæque foues, ac promoues, eâdem qualecumque hoc prolixioris, & firmioris defenſionis auſpicium, ac veluti futuri tutaminis arrham in ipſa, vt forenſe verbum vſurpem, grauiſſimæ huius litis conteſtatione complectare: Vale interim Sacræ Decus Purpuræ, & Literatorum Mecœnas quàm diutiſſimè, & quàm feliciſſimè Vale.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

Dominicus de Zaulis Epiſcopus Verulanus Viceſgerens.

PErlegi iuſſu Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatij Apoſtolici binas epiſtolas ab Horatio de Florianis, nec non à Luca Terranoua conſcriptas; in eis nil abſonum à Fide, & moribus inueni, ſed in defendendo oculatiſſimo, ac ſimul moderatiſſimo Viro, Scriptorum acutiem pariter & continentiam laudaui.

Bartholomæus Santinellus ex Romani Collegij Archiatris.

Imprimatur,

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum Sacri Apoſtolici Palatij Magiſter.

HORATII DE FLORIANIS
M. E. P. EPISTOLA,

Qua *plus Centum*, *& Quinquaginta Errores* ostenduntur in recenti Libro inscripto *Oculorum*, *& Mentis Vigiliæ ad distinguendum Studium Anatomicum*, *& ad Praxim Medicam dirigendam*;

Nec non

Inclyti Viri, Philosophi, Medici, & Anatomicorum nostræ ætatis facilè Principis

MARCELLI MALPIGHII

Innumeri loci propugnantur, & exponuntur.

IN EADEM

PLVRES ALII RECENTIORES

Obiter defenduntur, & emendantur.

Huic præfixa est quasi vice Præfationis

ALTERA EPISTOLA

In illud idem Argumentum

A LVCA TERRANOVA M. S.

Inueniet in vtraque Lector multa ad eiusdem Celeberrimi Malpighij *Vitam, atque Opera attinentia, nunquam anteà edita*.

ROMÆ, MDCCV. Typis Ioannis Francisci Buagni.
SVPERIORVM FACVLTATE.

Sumptibus eiusdem Bibliopolæ, & Sociorum.

EMIN.^{MO} AC REV.^{MO} PRINCIPI

FABRITIO

TIT. SS. IOH., ET PAVLI

PRESBYT.

S. R. E. CARDINALI

PAVLVTIO

A Secretis Status

SANCTISS. DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS XI.

IOH. FRANCISCVS BVAGNI BIBLIOP. FELICITATEM.

DVO potissimum, PRINCEPS EMIN.^{ME}, vt apologeticas hasce epistolas ab

Horatio de Florianis, nec non à Luca Terranoua conſcriptas, Tibi nuncuparem, vehementer me impulerunt: ſumma in primis (vt de ſingulari, ac vetuſto generis tui ſplendore, auitâque munificentiâ taceam) morum probitas, atque humanitas tua, quæ ſuo quodam iure videtur ad ſe allicere vindicias laudum, virtutumque, quibus, æternum duraturis, magnus ille Malpighius, non minùs doctrinâ, quàm animo candidus, mirificè exornabatur; qui, vt de ſuo ſcripſit Agricola Tacitus, retinuit, quod eſt difficillimum, ex ſapientia modum: nihil quippe in ipſo

(quem

(quem Vrbs Roma postremis vitæ suæ annis accersiuit, excepit, coluit, & mirata est) tumidum, arrogans, aut in rebus à se recenter detectis, nouum fuit. Deinde verò, cum Tu Arcanis Pontificijs tantâ cum laude præsis, tuoque ministerio vndecumque per vniuersum Terrarum Orbem illius diffundas Oracula PRINCIPIS, cui noster, quem Tibi vindicatum offerimus, Philosophus tam egregiam, faustamque operam præstitit, quando viuens consilio suo eiusdem valetudinem in immortale Orthodoxæ Fidei emolumentum regebat; quem sanè Te hoc obse-

quio

quio digniorem, opportuniorem-
que vſquam gentium inuenirem?
Quâ igitur benignitate optima
quæque foues, ac promoues, eâ-
dem qualecumque hoc prolixio-
ris, & firmioris defenſionis auſpi-
cium, ac veluti futuri tutaminis
arrham in ipſa, vt forenſe verbum
vſurpem, grauiſſimæ huius litis
conteſtatione complectare: Vale
interim Sacræ Decus Purpuræ, &
Literatorum Mecœnas quàm diu-
tiſſimè, & quàm feliciſſimè Vale.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

Dominicus de Zaulis Episcopus Verulanus Vicesgerens.

PErlegi iussu Reuerendissimi Patris Magistri Sacri Palatij Apostolici binas epistolas ab Horatio de Florianis, nec non à Luca Terranoua conscriptas; in eis nil absonum à Fide, & moribus inueni, sed in defendendo oculatissimo, ac simul moderatissimo Viro, Scriptorum acutiem pariter & continentiam laudaui.

Bartholomæus Santinellus ex Romani Collegij Archiatris.

Imprimatur,

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum Sacri Apostolici Palatij Magister.

LVCAS TERRANOVA M. S.

ANTONINO SVO B. A.

EPISTOLAM, circa Oculorum, & Mentis Vigilias (librum nempe quendam contra Præceptorem nostrum sex ante menses vulgatum) à Viro Præstantissimo *Horatio de Florianis* priuatè, imò secretò ad te scriptam, posteà de tuo Musæo clam surreptam, Epistolam, inquam, istam, quam; ne fortè in publicum prodiret; tanta diligentia, tanta cura, tantaque solicitudine, tu intereà perquisiuisti, & adhuc perquiris, istam ego, Antonine Doctissime, primùm surripui, deinde Romanis Typis commisi, nouissimè vt in Doctorum omnium manus emitteretur, atque adeò perueniret, curaui. Video te tam securæ confessionis libertate perculsum, video inexpectati facinoris confidentia non mediocriter commotum: audio acerbissimas querelas, audio impatientissimas voces, quibus Horatium tuum iam tibi offensissimum, te miserrimum, me verò Amicorum pessimum vocas, & mortalium omnium perfidiosissimum. At si, qua multa polles prudentia, primo hoc impetu, primaque hac indignatione paulisper seposita; sedato, compositoque animo rem mecum istam consideraueris; tantùm abest, vt de me conquerare, vt potiùs intelligas, esse mihi, esse cunctis amicis, & condiscipulis olim nostris, esse bonis omnibus, de quo tecum iure optimo conqueramur. Cùm enim Viri Eximij, & de vniuerso Mortalium genere benemeriti Præceptoris nostri Fama, & Memoria, ipsique adeò Cineres, & Manes iniuriosissimo hoc, infestissimoque *Vigiliarum* libro, diuis, hominibusque reclamantibus, & detestantibus, turbentur, carpantur, indignèque, & contumeliosè lacerentur; cùmque tibi, dilecto adeò Viuenti discipulo, ea Epistola esset in manibus, qua Istius prope dixi Sepulchrorum Violatoris inhumanitatem, si non pro meritis vlcisci, at saltèm cohibere interim posses, atque contundere; eam tamen, crudelis! in tuis scrinijs retinere, premere, occultare sustinebas. Sed Horatius per necesitudinem, & amicitiam nostram obtestatus erat, vt occultarem. Vnum igitur

ex Amicis, omnibus præponebas, ſodalem Magiſtro, priuatam tuam neceſſitudinem publicæ pietati? Obſecro te, nonne multis antequàm Horatium noſſes, annis tuo Præceptori religioſiſſimæ amicitiæ vinculis totum te obſtrinxeras, atque obligaueras? Igitur non poteſt nouus Amicus à te contendere, vt ſe veteri Amico, Præceptori, Fautori anteponas: neque hercules, ne noua iſta ſoluantur vincula; antiqua interìm abrumpi debent. Quinimò ſi Humaniſſimus ipſe Horatius cauſas omnes intimiùs excutiet, atque perpendet, propter quas abs te petere ſe, ſcripſit, vt iſtam ſuam apud te Epiſtolam contineres; illas, opinor, non ita validas eſſe, comperiet, vt de te, rei præſertim ignaro; atque inuito; conqueri, aut iraſci velit; imò fortaſſe pietatem meam, ſi non venia, at aliqua ſaltèm excuſatione dignam iudicabit; quòd eius ſcripta, ipſo inconſulto, in publicum mittere auſa ſit. Nam quòd primò verebatur, ne propter quædam feruidè, & ſubacriter, vt ipſe cenſuit, in Epiſtola à ſe conſcripta, ſua illa conſueta lenitas, atque facilitas in eadem deſideraretur; non eſt profectò quòd hoc pertimeſcat; Non enim lenis, & facilis; ſed ſaxeus, ferreuſue videri poſſet, qui tot, tantiſque in immeritum Virum iactatis conuicijs, atque dicterijs nihil omnino commoueretur. Iam verò hoc ipſum quanta indifferentia fecit, quantaque moderatione! Nemo rariùs, nemo indifferentiùs, nemo mitiùs tam frequentem, tam infenſam, tam acerbam dicacitatem caſtigare potuiſſet. Ad hoc, illud debet animaduertere, ſe in ea Epiſtola multò plures defenſionis, & humanitatis partes reuerà ſuſcepiſſe, quàm accuſationis, & ſeueritatis. Dum enim vnius hominis confidentiſſimam audaciam refellit; non ſolùm à Celeberrimi Viri Sepulchro; ſed ab omnium prope Recentiorum; qui vel eò maximè in *Vigilijs* carpuntur, quòd cum eodem Viro conſenſerint; Fama, Nomine, Memoria iniurias propulſat, & contumelias: imò caſtigato tam periculoſo exemplo Mortuorum Cineres, & Manes iniurioſiſſimè inſectandi, non leui beneficio Mortales omnes ſibi deuincit; iam enim cui noſtrum non eſſet timendum, quod in tanti Viri Memoriam impunè facere licuiſſet?
Quod verò proximè addebat Horatius, ſe quietis, & compoſitis ſtudijs deditum lites quaſcumque, præcipuè autem cum pertinacibus adeò, & dicacibus aduerſarijs omni conatu, & diligentia vitare, atque ideò Epiſtolam occultam velle; neque hæc profectò ſatis efficax cauſa eſt. Non enim, puto, homo ille tam veris Epiſtolæ animaduerſionibus quidquam reſpondebit; Nam quando
illum

illum à respondendo non dehortaretur vis ipsa veritatis; ,, quæ ,, licet eos, quibus resistit, in præsentia offendat; ab illis tamen ,, ipsis demum suspicitur, atque laudatur,, ; certè dehortari ipsum deberet ineuitabilis necessitas, qua cogitur aut potissimas, & Lectoribus memorabiliores Horatij obiectiones turpiter dissimulare; aut, quod longè turpius est, easdem approbare, atque concedere. Cùm enim neque negare, neque dissimulare omninò possit, se multis in locis eum ipsum, quem impugnabat, Virum non benè intellexisse, vt potissimùm in *Vigiliar.* pagina 25. 60. 61. 416. 507. &c. in multis non bene, & fideliter retulisse, vt præsertim pag. 25. 28. 502. &c. ad hæc, se, qui aliorum omnium furta indagare profitetur, multa multis euidenter surripuisse, vt pagina xxxvi. Meatus auditorij Glandulas Stenoni, pag. 592. Musculos oculi internos Drelincurtio, alijsque, & potissimùm pag. 502. (quod non sinè risu recordari vnquam possum) gloriosissimam illam Pilorum sub cute implantationem Columbo: item multa manifestè, & de facto falsa securissimè, & & absque vlla dubitatione affirmasse, vt illud præ cæteris p. 46. quòd veræ glandulæ osseæ non fiant: & ne totam Horatij Epistolam hìc transcribam; frequentissimè, turpissimèque in illa eadem, quæ iniurià in alijs reprehendit, verè ipsum incidisse; cùm inquam, nullas ex tam multis, & tam memorabilibus obiectionibus neque prætermittere possit, neque refutare; deberet vtique omnem respondendi cogitationem abijcere,

Si quidquam cordis, minimumque pudoris haberet.

Quòd si his non obstantibus; auderet homo vtcunque, & de more, iniurijs non minùs, & contumelijs, quàm rationibus respondendo, ad illa omnia scribenda Horatium prouocare, quæ hac vice scribere noluit; præterquamquòd integrum erit Horatio talis aduersarij nullam prorsus curam, & rationem habere, vtpote cuius obiectiones, atque dicteria sinè fundamento esse solere, ista sua Epistola euidentissimè iam probauerit; ego vniuerso Litterario Orbe in testem vocato, iam nunc illi homini edico, atque denuncio, non cum Horatio, horum omnium prorsus ignaro; sed mecum, qui Epistolam typis commisi, & publicam feci, rem istam agendam, habendamque esse: & nihil aliud ex istius Epistolæ editione ad Horatium venturum esse, quàm gloriam, & Doctorum omnium gratias; in me verò lites omnes, & quidquid in hoc negotio molesti, onerosi, laboriosi est, totum esse incubiturum. Hoc autem non ita spondeo; quasi ego, quidquid loqua-

cissimo isti homini placuerit effutire, & scriptitare, hoc continuò velim refellere; non enim bonas horas, & studia; atque occupationes meas tam parui facio; sed si homini superuixero; tunc simul omnia confutabo; sin minùs; ex tot amicis, & familiaribus meis, qui certatim omnes id muneris sibi deposcunt, aliquem potissimùm seligam ad id præ cæteris instructum, cui meas committam vices: & hoc quidem; modò consuetis iniurijs, & contumelijs homo ille in scribendo abstineat; alioqui enim, vt promeruerit, aliquis fortasse in responsionis partem descendet, quem ipse nunquam expectauerit. Iamdudum namque multos audio, qui; nisi ille iniuriarum finem faciat; *Actionum* Cardani *in Thessalicum Medicum* se ista occasione aucturos numerum, minitantur; vt illos prætercam, qui mihi cum Nobilissimo huius nostræ ætatis Satyrico

Cerne, aiunt, strigiles, cultros, cum forcipe runcas,
Et sale conditum, feruensque in pyxide acetum,
Quæ sacræ miscent largo cratere Sorores,

aliaque illa longè acerbiora

Calami tentigine rumpor,
Et peream, muria si non grauiore fricabo, &c.

Sed iam ad Horatium redeo, quem illud denique ad Epistolam premendam, ocultandamque hortabatur; quòd propter summam, qua illam scripserat, celeritatem, eius diligentia, & studium, & stylus ipse; vt inquit; in eadem desideretur. Ego quidem scio, multùm interesse, an scriptum aliquod post longum, an verò post breue interpositum tempus emendaueris; nedum an celerrimè exaratum; statim absque vlla emendatione emiseris; scioque insuper, quantùm differat, scribasne aliquid, vt premas, an verò vt euulges; ad Amicum, an verò ad Populum; ad hæc, scribasne attentus, & quietus, an verò distractus, atque occupatus. Sed si ego testor; imò si ipsa Horatij Epistola Lectorem suum perspicuè docet, quot inter occupationes, ad quem, & in quem finem, denique intrà quantulum temporis perscripta fuerit; nemo herclè; si quid in eadem fortè deprehenderet (non credo autem, deprehensurum) quod scopum omnino non attingeret, aut quod elucubratum stylum non saperet; nemo, inquam, proinde Authorem reprehendendum censeret; contra potiùs ipsius ingenium, & studium, atque exercitationem Omnes commendabunt, qui etiam dum familiares epistolas celeriter scribit, tam laudabili vtitur stylo, tam nouas animaduersiones inserit, atque obserua-

tiones

tiones, illud denique, quod assumit; tam copiosè, tam feliciter, & neruosè conficit, vt diù satis, & ad publicum scripsisse videri possit. Non est igitur, quòd Horatius mihi ipsi, nedum tibi, Antonine, vehementer adeò irascatur, quòd eius Epistolam publicam fecerim; cùm nulla satis efficax causa sit, cur illam pressam, occultamque voluerit.

II. Etsi verò; vt modò aiebam; illud, quod Horatius assumpsit: *Sæpiùs scilicet Præceptorem nostrum in variis errorum generibus iniuria omnino ab illo homine accusatum esse; Istum verò ipsum hominem in eisdem prorsus erroribus passim deprehendi, quos in altero reprehenderat;* Etsi, inquam, neruosè hoc, copiosèque Horatius in sua Epistola confecerit; non pauca tamen errorum genera, vt ipse confitetur, intacta penitus prætermisit. Nec verò hoc potissimùm dico de *Nugarum, atque Obseruationum nullius momenti facta inter seria Mentione, de Lapsibus in Eruditione, aut in Lingua*, alijsque huiusmodi erroribus, qui & sunt, & ab Horatio vocantur leuiores; sed dico *de animi Æstu, de Falsitate, de Superbia, de Aliorum Contemptu;* quæ morum vitia (pro nefas!) Præceptori nostro, Viro ex omnibus, quos sua ætas meliores tulit, imprimis recto, integro, quieto, ac penè vltra modum verecundo; quauis propemodùm *Vigiliarum* pagina obiectantur. Hæc quidem animaduertit Horatius; sed cùm neque Præceptorem nostrum, neque hunc *Vigiliarum* Scriptorem ne de facie quidem vnquam cognouerit; sicut est vir prudens atque ingenuus, & alioquin etiam talium sermonum inimicissimus; de ijs scribere; nedum; vt opus est; testimonium de ijs dicere non sustinuit, quæ per se ipse non cognouisset. Qua in re etsi Viri prudentiam commendo; displicet tamen, partem hanc, quæ in defensione Præceptoris nostri, si non difficilior; attamen præ cæteris necessaria est, ipsum Horatium qua multa pollet probandi, & dicendi vi implere simul non potuisse. Res enim, quas in Epistola sua scripsit, etsi multæ sunt, etsi vtilissimæ, etsi luculentæ, & non sinè intenso labore, summaque ingenij felicitate animaduersæ; studiosi tamen, & docti Viri profectò poterant (multò quidem maiore difficultate, & longiore, quàm nunc, temporis impendio) inspectis, & collatis libris, non paruam earundem partem per se detegere, atque cognoscere. At obiectiones de Aliorum Contemptu, de Superbia, de Falsitate, cæterisque morum vitijs, nemo ingenio, nemo labore penitus iudicare, & soluere potest; nisi aut ipse per se reprehensum Virum, aut per ingenui, & probè conscij hominis testimonium perspectum satis habuerit. Quæ cùm ita sint; statui ego

„ (cui non cognitum quidem eſt fama ; qua alioqui optima , & „ meritiſſima fruitur ; ſed longis magniſque experimentis „ , Celeberrimo Magiſtro meo, vt neminem ſua ætate in Naturæ cognitione priorem, ſic in omni genere laudis, in omni virtute, & morum integritate meliorem neminem extitiſſe) ſtatui, inquam, omni, quam habeo, aut vnquam habiturus ſum, fide, atque authoritate de hac re teſtimonium dicere, exteriſque omnibus à Sicilia, atque Italia noſtra quàmlibet diſſitis, atque remotis talem prorſus Cl. Virum exprimere, & ſub oculis ponere, qualem ipſe, cùm primùm Meſſanæ, deinde etiam Bononiæ, vt Magiſtrum ſequerer, altiſſimè inſpexi. Hoc verò mihi facilè aſſecuturus videor; ſi iſti, quam modò publicam facio, Horatij de Florianis Epiſtolæ, quaſi vice Præfationis, per quam Lector ad eandem Epiſtolam rerum magis inſtructus accedat, perſpicuum examen præmittam obiectionum illorum omnium generum, quæ Horatius prætermiſit, incipiendo primùm à grauioribus, deinde ad leuiora deſcendendo: qua in re eandem ſeruabo, quam Horatius Numero II. propoſuit, citandorum librorum rationem, eandem quadantenùs prolixioris ſcribendæ epiſtolæ licentiam, imprimis verò eandem ipſius methodum, idemque efficax aſſumptum; Scilicet in quocunque errorum genere primùm oſtendam, Iniuriâ Virum Optimum accuſatum eſſe; Deinde verò in ipſo eodem erroris genere accuſatorem potiùs damnandum videri, probabo: quo in ſecundo præſtando, dabo operam, vt nihil honeſto, nihil philoſopho, nihil chriſtiano homine indignum mihi elabatur; nunquam enim, aut ferè nunquam, vbi de moribus agetur, rem ita eſſe; at ſemper ſolùm ita videri, affirmabo; imò potiùs arbitrum Lectorem conſtituam, ità videatur, nec ne. Quanquam enim, quòcunque me conuertam, aſſiduè obuerſari videtur oculis Magnus ille Vir, & Præceptor olim Suauiſſimus, quaſi à me petens, atque contendens, vt, ſi quid vnquam docendo, amando, iuuando in me contulit, quo ſibi me, animumque meum deuinxerit; nunc Memoriam, Famam, ſuoſque adeò ipſos Cineres tam crebrò in *Vigilijs*, tam indignè, & miſerandè violatos, atque vexatos digniſſimè vlciſcar; moderari tamen placet pietati, & dolori meo, tum illis alijs de cauſis; tum ne iſti *Vigiliarum* Scriptori ab his ipſis, quos incandeſcere magis deceret, exemplum deſit continentiæ, & moderationis.

III. Ex grauioribus obiectionibus, quas Horatius perpendere omiſit, illam primo loco enumerauit, quod à *Vigiliarum* Scriptore animi in ipſum Æſtus, ſiue acriter ipſi reſpondendi, imò detrahendi

hendi libido Præceptori nostro obiecta fuerit. Porrò non obscurè id obiectum fuisse, patet ex *Vigiliar.* p. 477. vbi occasione quorundam verborum ex *Dissertatione de Recentiorum Medicorum Studio*, quæ non bene in *Posthuma ad eandem Responsione* reprehensa esse, ibidem existimantur, ista omnino scribuntur. *Hinc possumus arbitrari Antagonistam a ly* instituereretur *deceptum esse, & deceptionem ortam esse ex inconsideratione verbi Instituo; nisi dixeris, benigne Le-„ ctor, cum Saluiano Massiliensi de Gubern. Dei lib.3.* „ Adeò esu-„ riendi libido terminum habet, detrahendi libido terminum non „ habet „.] Hoc verò inane, & prorsus futile esse conuicium; non autem solidam, iustamque obiectionem, non est quòd ostendam. Probatum enim est ab Horatio Num. VII. suæ Epistolæ, verba illa *Dissertationis* iure optimo fuisse in *Posthumis* reprehensa, & consequenter, nullam ibi esse detrahendi libidinem, vbi ratio eminet, & veritas dominatur. Alia occurrit, facilè ad hoc genus reducenda obiectio in *Vigiliar.* p. 297. hæc nempe. *Antagonista censuras* nostras *ægrè tulit, itaut voce, scriptis, & vita voluerit dolorem, & grauissimum animi pathema patefacere Bononiæ, Romæ, & alibi cum amicis, medicis, cœnobitis, & omnibus, nihilque cogitaret diu, nocluque, æstate, vel hyeme, quàm Responsionem, & etiam quando ad maiora componendus erat animus, & huiusmodi tricæ erant deponendæ.* Mihi sanè vltimis eius vitæ annis Cl. Viro adesse non licuit, atque ideò quæ ab ipso tunc dicta fuerint; siue potiùs (nam supremi eius vitæ menses potissimùm hìc innuuntur) quæ de ore hominis iam apoplectici, & miserandum in modum non magis corpore, quàm mente sui dissimillimi tunc exciderint, aut non exciderint, neque affirmare possum, neque ad rem quidquam facere, censeo. Si tamen in eo statu; vt fieri solet; illa Vir dixerit, quæ cùm mente bene vigeret, plurimùm animo versare consueuerat; nunquam certè istiusmodi nugas dicere potuit, nunquam talem animi dolorem, aut talia pathemata manifestare. Quantùm enim ipsum tales censuræ, quantùmue ad easdem respondendi cura solicitum haberent; ostendit ipsa *Responsio*; quidquid enim ille ex eadem scriptum reliquit, subseciuis horis; vt in *Posth: Opere* p.136. ipse testatur; scribere solebat, tunc scilicet cùm volebat nihil agere; sed animum à grauioribus curis lassatum parumper remittere & recreare. Et hinc etiam fuit, quòd natiuo, siue italico idiomate eandem scripserit; & iocis, atque facetijs inter scribendum non abstinuerit intantùm vt ipse *Vigiliar.* Scriptor, hæc inter seria non conuenire, vltrò fateatur p. 514. Et sanè qua, obsecro, solicitudine eundem affi-

afficere debebat illa *Differtatio*, cuius vt omnibus copiam faceret, nouam editionem fuis impenfis ipfe curauit, quamque Cl. Exteris ad fe alloquendum, vt folebant, & falutandum venientibus vltrò donabat, vt ipfe in citato *Pofth. Operis* loco teftatur, vtque Amici non femel viderunt, mirantibus hinc Exteris, vt cuius ipfi Nomen in Dania, in Gallia, in Anglia, in Belgio, alijfque longè remotiffimis terrarum oris venerarentur, huius præfentis ftudia, & labores proprius Ciuis derideret; inde verò Eximio illo Viro, & fui ipfius probè confcio omnia potiùs, quàm cenfuras iftas acerbè fe ferre, iucundiffimo vultu,oftendente. Quòd fi de eifdem aliquando fortè conquerebatur; non indè eius querelæ proueniebant, vnde *Vigiliarum* Scriptor fupponit; neque erant quæ damnandum, improbandumue pathema oftenderent; fed quæ honeftum, æquum, & fapientem Virum quocunque tempore, & ftatu decerent, vt clariùs infra Num.V. enarrabimus. Quæ cùm ita fint; videtur *Vigiliarum* Scriptor per fua ifta adducta verba, propria potiùs, quàm aliorum pathemata comprobaffe; illis nempe (iuxtà quædam fibi malè, vt opinor, relata) triumphum prope canit de miferando Magni Viri fupremo ftatu, ipfifque adeò vltimis eius vitæ fufpirijs. Nunc, quoniam in Illud ipfum quafi non fentientes incidimus, quod fecundo loco probare debemus; Videri nempe hunc hominem illo animi æftu laboraffe, quo Præceptorem noftrum laboraffe, fruftra contendit; miffis alijs omnibus, qui circa Primum adduci hìc poffent, *Vigiliarum* locis, facillimifque ad hos refponfionibus, hoc fecundum; in quod incidimus, profequamur. Inprimis itaque illud negari non poteft, Videri hunc hominem pertinaci quadam contradicendi Præceptori noftro libidine arfiffe. Primò enim cùm ifte fua anatomica Inuenta edidit; hæc ftatim ille falfa, imaginaria, imò deliramenta, & nugas effe, cum nonnullis alijs fui fimilibus, qui in *Pofth.Operis* p. 21. indicantur, dictitare non dubitauit. Difcuffa quidem intrà paucum tempus;imò ridicula facta eft hæc contradictio. Celeberrimi namque Exteri,ficut ab omni erant affectu immunes,vt vera effe illa Inuenta, per anatomen cognouerunt, illicò in fuis Scriptis, admiffa eadem approbarunt, & commendarunt. Sed ecce homines in contradicendo pertinaciffimi quæ Inuenta prima contradictione profternere non potuerant, alia confeftim aggrediuntur. Negant, propria effe Præceptoris noftri: & illa eadem, quæ nudiustertiùs nugas,& deliramenta effe, contendebant, affirmant modò, iam priùs à Cafferio, ab Euftachio, a Wepfero inuenta, & promulgata fuiffe. Interim diligenter perlectis

horum

horum Doctorum exemplaribus, quiuis de populo; dummodò affectu nullo præoccupatus; perspicuè intelligit, & confitetur, istos Authores easdem res non vidisse, aut non docuisse, aut saltèm non ita docuisse, vt opus erat, vtque à contradictoribus affirmabatur. Igitur neque hac secunda contradictione aliquid faciente, tertiam denique *Vigiliarum* Scriptor euulgat sub titulo *Epistolaris Dissertationis de Recentiorum Medicorum Studio*; Et sic nostri Præceptoris Inuenta; tametsi vera, & propria sint; in hac *Dissertatione*, vt inutilia Practicis, imò ob temporis dispendium etiam damnosa, improbare, & condemnare conatur. Percontanti autem mihi, dum Bononiæ degerem, causas tam pertinacis, & tam admirandæ contradictionis, illud responsum est, quod tu quoque, Antonine, probè noueris; Lectores verò omnes, & præsertim exteri, in quorum potissimùm instructionem hæc scribimus, nouisse non possunt; Cruentas nempe, imò funestas inimicitias; Magistro tamen nostro has improbante; inter suum, & illius hominis fratrem intercessisse. Sed quamuis ego credere nolim, voluisse hominem in immerito, & innocente prorsus Viro alienas lites obliqua hac litteraria vltione insectari; ipse tamen sua ista obstinatissima contradictione occasionem præbuit, vt aliquis interim id suspicetur. Roganti enim: qua igitur alia de causa ita se gesserit; quid, obsecro, potest satis verisimiliter respondere? An quod habet in *Vigilijs* p.492. Vt scilicet *meritum sibi comparet apud Deum, ob beneficium proximi ita laborando*? An verò, quod p. 461. & 595. Vt nempe veritatem tueatur; in quem sensum dixit pariter p. 427. *Non sunt somnia nostra, quæ dicta sunt, non contradicendi libido, non particulares fines, qui nos mouerint ad scribendum contra seculi luxuriem, quia veritatem, quam defendimus, docuerunt, & docent medici primi nominis*? Potest enim ille, qui priùs rogauit, adhuc petere. Num in proximum nullum aliud beneficium conferre potuerit, num alia nulla sit practica veritas, quam defendat, num denique nihil aliud Medici primi nominis, vt ipse ait, olim docuerint contra huius sæculi luxuriem; nisi quòd expressa studia illius ipsius Viri, qui ob prægressa parum ipsi carus credi potest, reprobanda sint à Medicis, atque damnanda? Certè hanc interrogationem videtur ipse præsensisse, & quantùm fieri potest, declinare etiam voluisse, dum suam inscripsit *Dissertationem*; vti dictum est; generali illo titulo, & neminem singulariter designante, *De Recentiorum Medicorum Studio*. Sed cùm *Dissertatio* præfixo titulo non

respondeat; etenim quasi maior pars Medicorum hac ætate non incumberent Philosophiæ, Chymicæ, Mechanicæ, Morbosorum Cadauerum Inspectioni, varij generis Experimentis, Botanicæ; Pathologiæ, Therapeuticæ, imprimis autem (quod heu nimis verum est) puræ ipsi Clinicæ; & quasi pauci illi Medici, qui in Solertiore Anatome operam ponunt, alia illa enumerata Studia interim non excolerent; ceu studium ferè commune, & vnicum, in *Dissertatione* improbantur Subtilior Anatome, & Zootomia, in quibus Præceptor noster præ cæteris clarebat; imò etiam Dendranatome, circa quam nemo, nisi ipse, & Cl. Greuu, laborauerat; cùm, inquam, his de causis suo illi generali titulo specialissima Dissertatio non respondeat; ille ipse titulus tantùm abest, vt Authorem à particularibus finibus immunem ostendat, vt potiùs eius metum, ne isti facilè detegantur, subindicare videatur. Certè Præceptor noster, qui hæc omnia in sua *Responsione* animaduertit, p. 279. ita iudicauit. *L'Autore della lettera non è così semplice, e così poco instrutto, che non sappia li varij studij de' moderni; ma hauendo in animo di leuarmi il credito di Medico prattico, e di auuilire li miei studij, in vece d'intitolare la lettera* ,, De studio Marcelli Malpighij ,, *hà colorato la sua buona volon-* ,, *tà, facendo vniuersale il titolo* ,, De Recentiorum Medicorum ,, studio ,, *& hà ristretta la critica à queste trè anatomie, nelle quali io hò fatto qualche trauaglio, benche inutile, dissimulando, che io con li Professori di questo Secolo attenda per quanto posso, e la poca mia capacità mi permette, all'altre parti della medicina, &c.* Et quidem præter superiora, nonnulla alia accedunt, quæ illud idem suadere videntur. Primum: In *Vigilijs*, in quibus homo loquentissimus ne apicem quidem; vt ita dicam; *Operum* Præceptoris nostri, & præcipuè *Responsionis* prætermittit, circa quem aliquid dicere non conetur in tantum, vt vel ipsum *Posthumi Operis* Emblema, quod ab Editore, non ab Authore excogitatum, & præfixum esse, ipsi quoque notissimum est, carpere de more, imò proscindere non omiserit; in huiusmodi, inquam, *Vigilijs* ad totam hanc sanè non exiguam, *Respònsionis* partem, in qua allatæ animaduersiones in *Dissertationis* titulum, & præsertim adducta modò grauissima in ipsum verba scribuntur, indicta causa, ne litterula quidem vna respondet; imò in alijs *Vigiliarum* locis, vbicunque considerat aliquam *Responsionis* particulam, in qua, prout opus est, eædem illæ animaduersiones refricantur, has semper, tanquam scopulum, vitat, quasi respondere desperaret, & nomi-

nominatim p. 496. vbi his duobus miserrimis, & nihil probantibus verbulis rem prætersugit, *titulus adæquatus*. Alterum ipsum tempus, & locus est, quo prædictam *Dissertationem* composuit, & recitauit. Vix enim anno 1683. in Celeberrimo Bononiensi Archigymnasio *Virtuti, & Famæ* Præceptoris nostri *in æuum mansura* affabrè circumpicto, & eloquenter, & magnificè inscripto publici Deambulatorij pariete Monimentum ab Vtraque Vniuersitate decretum, & dedicatum fuerat; cùm ille *Dissertationem* hanc suam scriptitare incepit, sic vt ipso proximo anno 1684. in eodem Archigymnasio eandem publicè *in Studiorum Encænijs*; vt p. 352. confitetur; recitauerit; additis in eiusdem fine æquiuocis quibusdam verbis, videlicet. *Huius Scholæ medicæ intemperiei tempus erit magister; Idem magnificos nostrorum temporum titulos emendabit — cadentque velut in calce scripta, quæ sunt in honore opiniones*. Quæ ego omnia non ea quidem mente recenseo, vt credi velim, id verum esse, quod ista videntur subindicare; sed in eum tantummodò finem, vt exteri *Dissertationis, & Vigiliarum* Lectores, his perpensis sint bene cauti: fortasse enim in animum istius hominis; quem ego nunquam prauæ intentionis insimulauerim; iam per domesticas inimicitias obrepere sensim non intellecta potuerit, si non malignitas, & inuidentia, at aliqua saltèm à Præceptore nostro genij dissensio, atque, vt sic dicam, antipathia; vnde posteà mos iste pertinax & originem, & incrementum habuerit, nihil propemodùm publicè dicendi, aut scribendi, in quo aut ex professo, aut obiter ipsum, eiusque Studia perstringere prætermittat intantùm, vt æquis rerum Æstimatoribus se ipsum (qui alioquin fortasse non malè aliquid in publicum bonum elucubrare potuisset) suumque iudicium, & scripta omnia, præscripta hac sibi contradicendi Cl. Viro, necessitate potiùs dixerim, quàm consuetudine, corrupisse omninò videatur. In illum itaque eundem finem alia omnia, quæ deinceps etiam adducam, esse me adducturum, profiteor. Iam enim ad illa peculiariter expendenda transeo, quæ in *Vigiliar.* libro occurrunt, huc pertinentia. Primùm igitur videamus; quid vnquam ipsum ad amarissimum hoc volumen conscribendum impulerit. Hanc causam ipsemet ita exponit p. 204. *Applausus, repetitæ editiones, nonnullorumque Doctorum testimonia, quibus opposita nobis doctrina velut inconcussa, & demonstrata asserebatur animum nostrum iterum mouerunt ad assumendum quarta vice calamum, & ad respondendum præcisè Aduersario*. Ego

quidem, quò ad me, verba hæc intelligo, quantùm fieri potest benignissimè; nollem tamen, homini, qui tota penè hac Apologia aliorum in se Æstum reprehensurus erat, inter eius initia elapsum esset, etiam, vt puto, imprudenti, & hoc minimè spectanti: *Applausus Doctrinæ oppositæ animum suum ad scribendum mouisse*. Post hæc, aliud ab ipso quæramus; De *Posthumæ Responsionis* vero Authore quid sentiat? Respondet p. 305. (quanquàm ex improba satis ratione.) *Ex his probabiliter deducitur Antagonistam non fuisse Authorem Responsionis Epistolæ ad Amicum, aut saltem plurima ab aliquo amico medicinæ prorsus imperito intermixta oscitanter fuisse*. Sed rogo te, Antonine; si credit, *Responsionem* non esse Præceptoris; quam igitur præter genium proprium, & consuetudinem, causam habet ipsum contradicendi, & perstringendi toto hoc *Vigiliarum* libro? quam saltèm causam habet tot absurda; vt ipse ait; & contradictiones, ex eadem *Responsione* collectos, huic Viro affingendi; si alium aliquem putat Medicinæ prorsus imperitum plurima oscitanter isti *Responsioni* intermiscuisse? Non hæc verò solùm; sed totus *Vigiliarum* liber miseram hanc contradicendi Cl. Viro libidinem, necnon obliquum hunc procedendi modum videntur testari. Primò autem illud omittam, semper hominem dissimulare, quo in statu Magnus ille Vir suum *Posthumum Opus* reliquerit; Hoc enim etsi gaudeo, fuisse ab Horatio, Num. IV. suæ Epistolæ, Litterario Orbi expositum, atque enarratum, sintque mihi etiam, Romæ, Grauissimi, Amplissimi, Locupletissimi Testes, per quos id totum, quandocunque sit opus, confirmem; volo tamen credere, fuisse hoc *Vigiliarum* Scriptori penitus ignotum. Duo verò alia non omittam, quæ ibidem pariter aduertit Horatius; Primum; hunc hominem dissimulare, quod omnibus notum est, *Responsionem* scilicet italicè tantùm à suo Authore scriptam fuisse; vt nempe latinam versionem, in qua; vt non vno in loco probat Horatius; minùs castigatæ, quàm in hetrusco exemplari, propositiones leguntur, faciliùs, acriùsque, ceu legitimum Authoris textum, possit impugnare; Alterum; in eundem finem ex ipsis versionibus illas elegisse, quæ minùs emendatæ sunt, quæque magis ab italico exemplari recedunt. Quid enim homo ad hæc respondeat? Negabitne, se primum illud sciuisse? At omnes, aut ferè omnes editiones testantur, & omninò omnes id sciunt. Negabitne, se istud alterum animaduertisse? At si vel ipsos ortographiæ errores animaduertit in versionum editionibus

nibus

nibus elapsos, sic vt p. 419. *Vigiliar.* reprehendere sciat & Petrum Regis, & Gauinellum, quòd neque primus, neque alter in suis editionibus errorem correxerit, qui iam in Londinensem editionem irrepserat, scribendi scilicet; vt ipse ait, *Fesius* pro Foesivs; quomodò animaduertere idem non potuit tot in Petri Regis editione grauissimas, non iam litterarum, sed verborum, & sensuum emendationes, quibus ob primæ versionis incuriam, duæ, quibus ipse vti maluit, Londinensis, & Gauinelli editiones destituuntur? Ad hæc, turpe ipsi est confiteri, se duo illa ignorauisse, quæ ad propriam materiam adeò pertinent; cùm in tot alijs minimè ad ipsum pertinentibus, videri affectet versatus; multòque etiam turpius est, quia à multis iam annis totus fuit in eorum omnium perquisitione, & perlustratione, quæ ad *Posthumam Responsionem* quomodolibet, spectarent, & quia duo illa necessaria adeò erant, vt si eadem attendisset; vtique in suo *Vigiliar.* libro non congessisset plurimas inanes omnino, & superuacaneas; quemadmodùm Horatius ostendit, reprehensiones, atque obiectiones. Illud quoque infensum contradicendi genium testatur, quòd *terminos* quosdam *Responsionis, accomodè*, aut certa quadam ratione accipiendos, semper; vt Horatius ibidem notat; ea ratione acceperit, qua nequaquam erant accipiendi; tametsi varijs in locis ostenderit, scire se, qua alioqui ratione eosdem accipi oporteret; Sed quid ego has meras dissimulationes? cùm plura, imò plurima, quæ, vt impugnaret, ex eadem *Respons.* aut alijs Præceptoris nostri *Operibus* retulit, infidè adeò, & peruersè retulerit, vt si eadem, contradicendi, carpendique gratia, consultò non alterauerit; alterasse tamen consultò videri possit; quemadmodùm ex Horatij patebit Epistola. Quòd si hæc satis non indicarent peculiarem contradicendi, aduersandique Præceptori nostro libidinem; hæc quæ sequuntur, fortasse indicabunt. Obsecro enim, quid vnquam boni in eodem fuisse, concessit? quid mali, non affirmauit? Vt à leuioribus incipiam; p. 518. *Quoniam*, inquit, *Antagonista nunquam disputauit in cathedris, nunquam sustinuit certamina literaria, illis exceptis, quibus tenebatur, de iure, mirum non est si in suis tractatibus tantopere decipiatur, & aberret in penetranda mente Galenica, quam microscopia non detegunt, sed scholarum vsus, & mutua disputatio*; à quibus alia quædam non abludunt, quæ absque vlla causa scripta sunt p. 381. His ego, & similibus verbis non respondebo, ex ipsa

prima

prima *Posthumi Operis* pagina constare, Virum Cl. adhuc adolescentem *sapiùs*, *etiam publicè*, exercitationis causa, disputasse; sed illud dicam: sæpe nobis non licere tacitè nobiscum, compositoque animo meditantibus, post multorum dierum cogitationes rerum veritatem detegere; tantùm abest, vt exiguo temporis spatio, commoto gloria, aut solicitudine animo, ex tempore probantes, aut respondentes illam consequi ex facili possimus; ita vt tyronibus potiùs ad exercitationem, ventosisque, & popularibus quibusdam homunculis ad ostentationem hæc certamina sint relinquenda, quàm nobis ad veritatis inuentionem studiosè subeunda. Quæ omnia sicuti cum Doctissimis ætatis huiusce Viris probè nouit Præceptor noster, vt patet ex *Operib. Posth.* p. 41., ita *Vigiliar.* Scriptor videtur hìc ignorare, siue; vt veriùs dicam; videtur contradicendi studio dissimulare; alibi enim, pag. scilicet 435. 31. 248. &c. sibi; vt solet; ipse repugnat, asserendo, *altercationes scholasticas plerunque alium finem non habere, nisi clamorem, &c.* Porrò Præceptor in hoc sensu, alioue aliquo simili; vt tu quoque, Antonine, memineris (quamuis hoc homo idem conetur de more in peiorem partem trahere *Vigil.* p. 31.) solebat nobis *cum Helmontio dicere, Logicam inutilem esse*: qua ipse alioquin, cum opus erat, non solùm implicitè, sed etiam expressè vtebatur, vltrò etiam eandem commendans; vt patet ex *Resp. ad Galenistarum Triumphum* p. 164., & 165. Illud quoque hìc loci notarem, adeò hunc hominem, *Vigiliar.* p. 305. & 585. Præceptorem nostrum chirurgicæ, non dico exercitationis; sed omnino omnis cognitionis imperitum depinxisse, vt dicere non erubescat, *vniuersum Orbem Italicum scire Antagonistam in re chirurgica, ita ieiunum fuisse, vt non distingueret vncum a cochlea, aut trepano; &c. esseque veritatem omnibus notam, quòd faciliorem luxationem non correxisset*. Hoc, inquam, notare hìc non omitterem, vnàque exponere, quantùm hunc hominem ista obiecisse dedeceat, quasi verò ipse Falloppios, atque Fabricios longo interuallo superaret, qui non aliud, nisi quid sit vncus, aut trepanum, quod dicit, & quotuplex sit, interrogatus, fortasse hæreret; sed longè grauior, imò nunquam expectanda, & incredibilis prorsum obiectio, siue potiùs iniuria me totum in se conuertit. Scribitur enim p. 378. *Ne mireris lector, si Antagonista noster ita scripserit, ac si praxes Doctorum nunquam vidisset, quia reuerà non videbatur esse nisi Philosophus ocularis*; pag. autem 274. *Hoc ratam*

tam facit Transalpinæ gentis opinionem, *Antagonistam videlicet non fuisse Practicum*; multòque adhuc peiùs p. 384. Præceptore nostro apertè priùs designato, additur, *Qui nihil de praxi intellexerunt, primi in omni loco, & tempore apparere voluerunt*. Sicubi autem opus est, Antonine, in hac epistola conscribenda me imperare dolori meo; nunc potissimùm esse opus, sentio, cùm in mendacia intoleranda, & impudentissimas calumnias mihi videar incidisse. Sed ne ab instituto deficiam; totum hunc locum quàm lenissimè potero, tractare conabor; illudque inprimis dicam. Tanta famæ celebritate incomparabilem Viri in medendo prudentiam, & non minorem fœlicitatem longè, latèque diffusam, & diuulgatam esse, vt potiùs quàm aliquid ambire Vir Modestissimus cogeretur; ab vrbe se, & à medicis curis, ipsum, eiusque limen assiduè nimis obsidentibus, subtrahere coactus sit, & viginti annorum spatio; vt vel ipse in *Respons.* fatetur; rure, quo degebat, ab vrbanis laboribus non minùs, quàm ab exterorum concursu ægrorum se, suamque valetudinem, & studia tueri; alijs quibuslibet in ciuitate liberum efferendi, ostentandique se campo libentissimè relicto. Quænam igitur in eodem culpa est; si Populus, atque Nobilitas (alijs interim, & quidem post experimentum, dimissis, & ad cœnobitas ferè, atque moniales, & si qui alij sunt, quibus medicos mutare consuetum non est, siue merito, siue; quod non diffiteor; fortuna, & sinistro quodam fato, ablegatis) ad ipsum quotidie conuolabat, & prope inuitum in vrbem rapiebat, & medicis negotijs reddebat? Quænam in eodem culpa; si patrij, si exteri Principes ad ipsum consulendum, aut amicissimè alloquendum, non raró ad eius vsque Recessum ventitabant? Quænam, si proximi Duces, atque Dynastæ, quænam, si dissiti, quænam, si Italia tota; & quoniam de Transalpinis sermo iniectus est; quænam si Nobilissimi ex Belgio, ex Germania, ex Polonia Principes, atque Optimates, quænam; si eiusdem Poloniæ Amplissimus idemque Inuictissimus Rex Ioannes, alij cum ipsum; alij quandocunque aliter fieri non poterat eius consilia in suis ægritudinibus adeò optabant, & solicitè perquirebant? Quænam denique ipsius culpa est; si Viri fama, imò experientia permotus Innocentius XII. Pontifex Opt. Max. à suo Recessu verecundè, & non sinè lachrymis obtemperantem ad propriæ valetudinis curam à primis statim exaltationis suæ diebus honorificè aduocauit? Illud verum est, Summo, Ornatissimo-

tissimoque Medico vnam adhuc gloriam, vnum adhuc suæ maximæ Virtutis testimonium, quoadusque vixit, defuisse, scilicet (rem miram primò; sed veram) quòd in medicina facienda malè audiret. Vt enim *in Thessalic. Medic. Act.* 2. inquit Cardanus; *semper hoc exemplum viguit aduersùm artis medicæ principes, — vt nulli eorum defuerit suus Zoilus: Hippocrati Gnidij medici, Galeno Thessalus quidam, & Erasistratij: ita vt semper optimus quisque in arte malè audierit*. Sed abundè nimis, hæc mortuo contigit gloria, quæ viuenti nunquam contigerat. Præter enim proximè superiùs relata, illudque speciatim quòd *nihil de praxi intellexerit*; etiam nescio qui casus in *Vigiliar.* p. 480. innuuntur (quos aut nunquam extitisse, crediderim, aut in alijs saltèm circumstantijs, quæ hìc proculdubio reticentur) *decocti* videlicet *falsa*, *& ligni guaiaci cum maxima iactura in suppositione syphilidis exhibiti, & grauidæ pro hydropica curatæ, &c.* quod vltimum vt omnes intelligerent in quem Medicum iaceretur; clariùs p. 593. repetitum est. Sed ne mihi hac occasione verbum aliquod elabatur, quod isti *Vigiliar.* Scriptori vehementer displiceat; hæc tantùm breuiter dicam. Nescire hominem prorsus quid agat, vbi ista scribit; Vix enim hæc ipse per præteritionem quidem, sed tamen clarè, atque distinctè collegit, & promulgauit, cùm ista addidit; vir innocentissimus; in aliorum reprehensionem: *non oportet colligere, & publicare alienos errores, & proprios prætermittere, omnia sibi ignoscere, & nihil alijs parcere: omnes homines errant, & qui minùs errat melior est: medici se debent abstinere à reprehensionibus, quæ pendent ab artis incertitudine, quoniam nullo labore retorquentur*: quæ verba si non bene intellexit, aut non bene considerauit cùm scripsit (alioqui enim non scripsisset) faciam ego, vt reipsà bene intelligat, alia mihi oblata in ipsum scribendi occasione; Non enim ego suppressis circumstantijs casus narrabo; sed cui, & quibus cum symptomatibus, & quo Medico repugnante, & præmonente, quid, quantumque, & quando exhibitum sit, & qui effectus intrà quantum tempus subsecuti sint (quemadmodùm plura quoque alia ad ipsum, Magistrumue meum attinentia, quæ nunc consultò prætermitto, aut obiter attingo) certa, & diligentissima narratione tradam Lectoribus, isto ipso homine admirante, quomodò tam multa, & tam vera hinc vsque cognoscere, & scire potuerim, quasi non aliquot tantùm olim annos; sed semper Bononiæ moratus essem, ipsisque adeò ægris,

quo-

quorum casus narrabo, assedissem. Intereà autem si dem ipsi, atque concedam; quod tamen non ita facile est concedendum; ex innumeris, quos rectè, & summa cum laude Vir Celeberrimus tractauit, duos, vel tres ad summum morbos contigisse, in quorum curatione ob nimiam Artis incertitudinem, aliquid humani passus sit; illud tamen semper negabo, illudque semper ab isto homine petam, atque contendam, quomodò vnquam *maxima* ista *iactura* & *detrimentum* Viri remedia etiam minùs propria consequi potuerit; si verum est, quod ipse paucas ante lineas in auersa pagina obiecerat, Virum nempe *consueuisse ferè nihil ordinare, etiam maxima vrgente necessitate, & maxima ægrotantium iactura*; quomodò, inquam, istæ duæ, iam non dico iacturæ, sed *maximæ iacturæ* simul stare possint, atque consistere? Alterutram quidem, quanquam difficulter, fortasse tamen alicui poterat obtrudere, & persuadere; sed dum omnia ardet obijcere, & præ voluptate contradicendi, simul pugnantia, etiam ita proxima, non aduertit; se ipsum, suumque animum ita prodit, vt neutram persuadere amplius valeat. Porrò hanc ipsam alteram obiectionem inspiciamus, qua cautissima Viri in medendo prudentia iniquissimo colore ita diffingitur, atque peruertitur, quasi nihil fere præscriberet etiam cùm legitimè id posset; nam hoc quoque anteà p. 381. sic obiectum est. *Mirum non est, si Antagonista in morbis, in quibus ars demonstrare debet, quid valeat, scopum non attingebat; tanto enim timore operabatur, vt difficiles prouincias vincere non posset, & omnino erat magis naturæ spectator, quàm minister*. Non hæc sunt eadem, Antonine, quæ nobis; sed non præsentibus; quotidie obijciunt medici quidam Thrasones, & facilè indocto, profanoque vulgo etiam persuadent, nescienti, quid inter timidum, & cautum intersit, & quod vbi in alterutram partem peccandum est; timore potiùs, quàm audacia Medicum peccare & prudentius est, & minùs damnosum. Vt enim inquit Cardanus in citat. *Act.* in Thessalicum Medicum, in re simili cum vulgo sentientem. *Id etiam plurimum tibi fauet, nobis obest, quòd vulgus diuersam à Medicorum sententia, & veritate ipsa opinionem habet, scilicet quòd melius sit multis auxilijs vti, quàm paucis; quòdque maius periculum sit necessaria amittere, quàm perperam non necessarijs vti*. Sed fusiùs de hac re Nepos meus; si per valetudinem vnquam poterit suum illum, quem nosti, Tractatulum ad vmbilicum perducere. Ego interim ad istam obiectionem, qua Præcepto-

ris nostri prudentia in re practica indignè perstringitur, nil aliud respondebo, nisi quod Cl. Bartholinus (in Ep. ad Blas.) ad similem obiectionem, à litigioso quodam homine, contra eundem pariter, sed in re theorica conscriptam, videlicet. *Anne ideò reus adduci meretur, & malè audire? Maluit quondam Magnus Alexander videri nimis timidus, quàm parum prudens*. Sed dum ex isto Bartholini loco hæc verba referimus; præstabit etiam, vt quæ immediatè superiùs idem Bartholinus scripsit, referamus. *Ignoscerem*, inquit, *huic errori, nisi etiam limatum oculatissimi Malpighij iudicium in dubium vocasset. Talis ille mihi dudum cognitus est, vt nihil temerè credat*. Quod Spectatissimi Viri testimonium, & qui non solum absens, & per libros, aut famam, sed coram, & per colloquia, atque experimenta prudentissimum Præceptoris nostri iudicium penitissimè inspexit, idcircò in medium produco, quia, ne mali aliquid assignari posset, quod ipse non obiecisset, ausus est *Vigiliarum* Scriptor nimiam quoque credulitatem in Cautissimo Viro reprehendere. Facit hoc p. 320. potissimùm verò p. 385. quo in loco cùm firmiter negat, in quadam sua lectione in Bononiensi Archigymnasio recitata *similitudinem cum quibusdam frustulis lanæ coloratis se adduxisse*; tum Virum Præstantissimum, qui tunc iuuenis Præceptorem nostrum sequebatur, id affirmat huic retulisse, quòd *non benè intellexerat*; istum verò multò grauiùs errasse, contendit, quia *statim aures admonit, & credidit quod non erat credendum*: quem locum ideò omittere hìc nolui, quia magno mihi in sequenti Num. erit vsui; vtì postea videbis. Hìc itaque non dicam, talem esse hunc Virum, quem ipse credit id retulisse, vt etiam iuuenis non tantùm sensa, sed omnes etiam hominis errores & intelligere potuerit, & confutare potuisset; neque dicam, dignissimum eundem esse, cui non hæc solùm, adeò verisimilia, sed omnia, quàmlibet etiam difficilia, crederentur; neque tandem dicam, Bononiæ constare, ipsum non fuisse, qui ista retulerit. Illud dico, esse apud me epistolam hominis spectatissimæ fidei, qui me istorum, quæ scire alioqui ipse non poteram, certiorem fecit, quique commodùm inter cæteros hanc, de qua loquimur, lectionem audiuit; eundemque dico religiosissimis sacramentis mihi affirmare, & cuilibet, publicè etiam, se esse affirmaturum spondere, istam, quam ille negat in ea lectione se adduxisse *cum quibusdam frustulis lanæ* diuersimodè *coloratis similitudinem*, istam ipsam reuerà in eadem adductam

ctam esse; esseque plures Bononiæ sibi probè notos, qui idem confirment: Quod Lectores secum velim diligenter perpendere, & animis interim seruare. Iam enim iuuat ad alia, atque alia progredi: quanquam enim breuitatis causa multa inter scribendum omittam, quæ assumptum hoc meum non mediocriter comprobarent; plura tamen mihi semper supersunt. Illud perpendendum est, in hoc suo *Vigiliarum* libro impleuisse hominem si non cunctas, certè plurimas partes *argumenti*, vt vocant, *ab inuidia ducti*. Modò enim nouitatis nimium amorem Cl. Viro obiecit, modò eius sensa malè retulit, modò inutilia eiusdem studia, imò etiam damnosa vocauit, &c. & cùm omnibus hìc immorari non vacet; vnum illud pro cunctis aduertamus, sæpè ipsum, speciatim vsum fuisse *argumento theologico*, quo argumento qui callidè innituntur, „quasi pro Numine pugnantes, „ secumque id in prœlium ducentes, sacrosancti euadunt, ple- „ beiosque animos horrore, & metu exagitant: tum verò super- „ stitione veluti lymphatum vulgus non magìs contraria sen- „ tientes potest audire, quàm si vero Numini se bellum inferre „ gloriarentur „: quæ ego, Antonine, non ita dico, quasi qui legitimè pro Numine decertant, sacrosancti mihi non sint, alijsque omnibus esse, non gaudeam; sed omnino aliud hìc intendo; vt puta cùm noster hic homo in *Opuscul.* p. 170. exclamat; contra opinionem suam sentire de minimæ Anatomes in Re Medica inutilitate *Christianum non decere*; nego, hìc legitimè pugnari pro Numine; sed innocentibus Aduersarijs inuidiam conflari, & contra ipsos impleri vulgum mala, vt ita dicam, superstitione, contendo. Sic igitur vbicunque in *Vigilijs*, vtì pag. 19. *orthodoxæ fidei cultores* rogantur, vt *Antagonistæ præmissas* (quas alioqui Horatius non bene ibidem referri, probat) diligenter *animaduertant, & an sint sanæ, determinent*, aut, vtì p, 478. quædam Magni eiusdem Viri propositio (quam Horatius non rectè eo in loco explicari, pariter ostendit) *inter temerarias propositiones reponitur*, & *authorem naturæ reprehendere* dicitur, *qui innumera remedia pro sanandis innumeris morbis, altissima sua infinita, & incomparabili prouidentia creauit*; ibi Numen non ipsius Numinis causa mihi videtur prætendi; sed potiùs ad Lectorum vulgus, sententiarum Præceptoris nostri non probè conscium; in eundem tanquam in Numinis violatorem accendendum, atque inflammandum. Illa verò etiam plebis animos vehementer mouere possunt, quæ p. 492. homo iste conscribit, *ob bene-*

ficium nempe *proximi se laborare, & persecutionem pati propter iustitiam*, nec non illa, quæ habet p. 494. *se* nempe *Philostrati lectionem auersari ob Posseuini censuram*, quòd scripta ab illo Apollonij vita perniciem moribus possit inferre; hæc, inquam, plebis animum mouere possunt, non meum, qui quantùm ad primum attinet, iam supra petij, num aliud beneficium in proximum conferre non posset præter istud, quod cum depressione sibi inuisi, vt à multis credi potest, Viri, eiusque Nominis, & famæ imminutione coniunctum est; quantùm verò ad hoc alterum spectat, nunc peto, cur igitur Apuleij, cur Martialis, cur Ouidij, cur Petronij Arbitri, aliorumque similium, quorum verba supra, quàm par est, in suis Scriptis gaudet referre, lectionem pariter non formidauerit, si tam religiosè cauet quidquid moribus labeculam aliquam potest aspergere? inprimis verò, cur Lucianum non solùm lectitasse se, ostendat; sed huic ipsi, qui tam peruersos mores, tam falsa, atque intoleranda circa sacrosanctam, cui rebellauit, Christifidelium religionem, instillare Lectorum animis posse, nemini ignotum est; cur, inquam, huic in re suspecta tantam fidem astruere tam imprudenter laboret p. 537. & 538.? Talis vtique, & tam solicita morum seruandorum cura attentum magis, & cautum in his, & similibus rebus eundem facere debuisset, quemadmodùm quoque in Venerabilium Ecclesiæ Patrum sanctissimis textibus, ritè, pièque adhibendis, non verò ad alienos mores carpendos, & dilacerandos; vt cùm Saluiani verbis superiùs relatis infinitam *detrahendi libidinem*, aut cùm verbis Diui Augustini in Præf. p. xxxix. aut Diui Gregorij p. 596. *præsumptionem*, atque superbiam Integerrimo, Modestissimoque Viro obijcere non dubitauit. Quæ apertissimæ inconstantiæ, & à se ipso manifesta dissidia, immodicum, atque effrænem eidem Viro contradicendi, & insultandi genium videntur oppidò indicare. Licet enim superiora illa tam pia, tamque religiosa non omnino ex intimo dixisset; debebat tamen, vt imprudentis notam effugeret, nihil vnquam dicere, aut facere, quod illis prioribus repugnaret, nisi immensus iste aduersandi, & obloquendi pruritus incautum adeò, atque inconsideratum reddidisset. Et profectò ipse quoque Horatius cum has, multasque alias istius hominis sibi repugnantis contradictiones, ad hæc, tot alios, tam confertos, tam insignes, tam securos errores passim animaduertisset, intantùm vt sibi (indefesso alioquin Viro) colligendi, notandi,
que

que singulos patientiam defuisse, Num. VIII. fateatur; nullam satis aptam videre potuit tot, tantorumque lapsuum causam præter hanc summam contradicendi libidinem; vt in calce Epistolæ confitetur. Augetq;huius judicij fidem id, quod Num.VII. prænotauerat, se nempe animaduertisse, quòd vbi agitur de Præceptore nostro reprehendendo, atque vexando, ibi plusquàm alibi, homo errare soleat, & inconsideratè deficere. Qualem porrò, quantamque, & quàm præcipitem esse oportet istam ad contradicendum, & reprehendendum procliuitatem, cùm hunc hominem non tantùm in tot errores conijciat; verùm quasi propria Scripta exactissima, atque absolutissima essent, ad alienos libros, & quidem quantùm fieri potest, liberè, & generaliter carpendos impellat? Non enim ipsi satis est vnum errorem obiecisse, neque vno tantum in loco, sed & omnes obijcit, & vbicunque. Ita non solùm inquit pagina 254. *Credant mihi cordati viri nullum esse verbum in Responsione, quod castigari non possit*, aut pagina 412. *Pro veritate à nobis concludendum est, nullum esse verbum, quod castigari non possit; nullum argumentum, quod retorqueri non valeat*. & pagina 376. *In prædicta Responsione nullum est verbum, quod censuram non requirat*, & rursus p. 544. *Omnino omne verbum censura indiget*, & 313. *Semper occurrit occasio arguendi nostrum Aduersarium*, & 258. *Antagonista ex omni parte admirationem mouet*, & 514. *Nolentes in omnibus eundem castigare*. item non tantùm inquit p. 293. — *vt omnes valeant cognoscere Antagonistam nihil omnino respondisse*, & 523. *Semper exorbitamus, nunquam tolluntur difficultates, &c.* & 491. *nunquam fidibus respondit, minùs hìc; nihil conciunè, nihil modulatè, nihil aptè*: quæ omnia ad *Posthumam Responsionem* referuntur; Sed in vniuersum de cunctis Viri *Operibus* similiter locutus est; Sic p. 62. *Hoc est perpetuum in aduersarijs Antagonistæ, vt semper scribat, quæ se inuicem destruunt*. p. 52. *Hoc modo semper idem probat suas conclusiones, consequenter quicunque veritatem amant, non possunt, nec debent eundem sequi* p. 32. *Antagonista noster graui censura semper dignus est*; vt hic omittamus multas alias non dissimiles calumnias cuncta pariter eiusdem *Opera* spectantes, & inter cæteras insigniores illas, quas Horatius Num. IV. in fine, non sinè stomacho, & admiratione recensuit. Quæ cùm ita sint; videor mihi potiori iure posse dicere, quàm idem *Vigiliar.* Scriptor p. 254. *Hæc ostendunt vim animi pathematum*. Nam per Deum immortalem, quis alius absque infinita propemodùm contradicendi,

cendi, insultandique cupiditate adeò præceps, adeò inconsideratus vnquam fuit, vt de *Operibus*, iam non dicam omnibus, sed determinatis, non Authoris Eximij, & Naturæ consultissimi, sed hominis etiam mediocris, non denique contra omnium vno quasi ore effusissimè commendantium, sed contra paucorum etiam hominum opinionem ipse solus pronunciare ausus sit, quòd nihil omnino boni contineant, sed vndequaque digna sint, quæ *graui censura* corrigantur, & castigentur? Sed cùm circa alia; tum circa ipsa speciatim Præceptoris nostri Inuenta Anatomica hoc modo *Vigiliarum* Scriptor se gessit. Non solùm namque p. 353. occasione quorundam Recentiorum fortè in *Responsione* enumeratarum Obseruationum, non potest hic homo se continere, quin statim se prodat; extra rem, extraque omnem opportunitatem exclamando, possemus *ostendere, maiorem partem prædictarum obseruationum non esse Antagonistæ*; sed cùm sibi videretur nimium hac quoque ratione concessisse; p. 257. inter hæc verba, *Hic de Antagonistæ inuentis microscopicis, &c.* Duo, vel tria verbula infensissima inseruit, ita scribendo, *Hic de Antagonistæ inuentis (si quæ sint) microscopicis*; & cùm hoc quoque nimium sibi videretur; p. 496. expresse, & generaliter ita scripsit. *Si spoliaremus Antagonistæ Opuscula, & vnicuique, quod suum est, restitueretur, vtique succederet quod corniculæ cum cæteris auibus euenit, de qua Gabrias Græcus ita.* „ Alienis pennis „ induta, Gloriabatur cornicula præstare auibus. Primum donum hirundo rapuit, Post eam omnes, hinc nuda inuenta „ est „.] Quibus sanè verbis nulla mihi magis posse videntur effrænem, atque immoderatum animi Æstum patefacere. Nam quid, obsecro, præcipitantiùs, quid audaciùs, quid (propemodùm dixi) impudentiùs possit aliquis affirmare, quàm Virum per totum vitæ suæ tempus in obseruationibus occupatum, & vniuersi Litterarij Orbis consensu in rebus detegendis felicissimum, ne vnum quidem ex tot, quæ omnes ipsi adscribunt, Inuentis, ne vnum, inquam, habere, de quo possit dici; Hoc reuerà suum est? Illud quoque ista mihi verba in mentem reducunt, quod hucusque adnotare non memineram, leue quidem, & contemnendum, si in alijs occurreret; at in isto homine omnino graue, quòd nempe Præceptoris nostri Scripta, quæ passim *Operum* nomine ab omnibus solent appellari, humiliore Opusculorum vocabulo vt plurimum nuncupare consultò maluerit, quemadmodùm quoque p. 99. Dissertationem de Polypo Cor-

dis

dis *Dissertatiunculam de Cordis Polypo* nominauit, minimè in hoc aduertens quid de modico Persij libello, & quid de longa Marsi Amazonide Poeta cecinerit. Cæterùm norunt Docti omnes, quot, quantaque, inprimis autem qualia sint Præceptoris nostri *Opera*, nec quidquam apud quenquam ipsis nocebit inanis ista *Opusculorum* appellitatio, & si quæ sunt alia huiusmodi misera, & manifesta artificia ad eius maximam, & celeberrimam, & istiusmodi detractorum iam securam famam, nomenque imminuendum excogitata. Quid enim ego iam verear hoc apertè dicere; cùm & ipse hic homo suum scopum, suaque consilia manifestissimè detegat, atque aperiat p. 497.? Hìc enim postquàm sibi planissimè persuasit, demonstrasse se ex quibusdam Scaligeri productis locis (de quibus ego quid speciatim dicendum sit, fortasse aliàs declarabo; nunc alicubi Horatius in sua Epistola generatim ostendit) postquàm, inquam, sibi persuasit, se demonstrasse ex his locis, multa Scaligero Præceptorem nostrum surripuisse; tum rogare alios non veretur, vt locos similes diligenter conquirant, non amore veritatis, non vt quibusque quod suum est (velut ipse credit) restituant; sed expresè vt Viri fama decrescat, atque imminuatur. Verba sunt. *Nos specimina dedimus, diligentiores alia quærant, & quemadmodùm in Scaligero nos prædicta notauimus relata ab Antagonista sinè illius mentione, ita cum admiratione apud eundem, & alios inuenientur obseruationes, quæ præconceptum nomen minuere poterunt*.. Vbi nunc illud vnicè spectatum *proximi beneficium*? Vbi intentio illa *sibi apud Deum meritum comparandi*? An fortasse, si præconceptum Viri nomen minuere suis conatibus vnquam poterit; hæc statim obtinebit? Mihi sanè neque ista modò relata verba, nec multa alia ostendere videntur integrum illum, & ad superiora erectum animum, quem in illis alijs indicatis locis profitetur, quemque oppidò omnes credidissent (ita viuam, vt sincerè, & beneuolè hoc dico) tandem aliquando habere senem iam propemodùm capularem, & aliorum inprimis seuerum in hac etiam parte reprehensorem, vt nos ex illius pagina 297. superiùs referebamus. Nam quid homini composito, & vnicè veritatem quærenti cum his verbis *quæ præconceptum nomen minuere poterunt*, aut cum his alijs p. 427. *Discant itaque Antagonistæ manes, quid sibi velit Natura, &c.*? aut denique cum hoc consilio, quod ipsum aiunt habuisse, dum nunquam in Opusculis, nunquam in tam longo *Vigiliarum* libro ne semel quidem Præceptorem nostrum proprio nomine

appel-

appellauit; quòd ego sanè laudabili aliqua de causa factum credidissem. Aiunt enim, ipsum dixisse: hac ratione prætulisse se facem, & luculentissimum exemplum dedisse, quomodò, cùm omnes ferè, qui à quadraginta circiter annis prodierunt, Medicorum, & Philosophorum libri, passim Viri nomine repleti sint, quomodò, inquam, Medicus quilibet, atque Philosophus inposterum queat suos libros conscribere, nunquam eundem nominando. Quæ si vera sunt; sicuti ostendunt consilium futile omnino, atque ridiculum, pueroque potiùs, quàm homine dignum; ita curam, & desiderium ingens testantur præconceptum Viri nomen, si qua ratione fieri possit, imminuendi. Sed audiat me homo iste, audiant præsentes vniuersi, audiantque inprimis seri ipsi, atque vltimi nepotes, & si falsum augurem deprehenderint; me cum augurio meo traducant, atque derideant. Velit nolit hic homo; Præceptoris mei fama post omnes istas suas artes, suasque reprehensiones, atque calumnias, viuit adhuc, æternùmque viuet, atque vt ijsdem propemodùm vtar verbis, quibus non vanus augur Cornelius Tacitus de Agricola suo olim vsus est; *Quidquid ex* Viro Clarissimo laudauimus, *quidquid mirati sumus, manet, mansurumque est in animis hominum, in æternitate temporum, fama rerum. Nam multos alios velut inglorios, & ignobiles obliuio obruet*; Vir Eximius *posteritati narratus, & traditus superstes erit*.

IV. Videor mihi epistolam iam absoluisse, eaque omnia, quæ initio spoponderam, iam satis præstitisse nunc, quando primam hanc particulam de animi Æstu, siue genio acerrimè contradicendi, atque repugnandi sufficienter tractaui. Scio namque, quòd, vbi constiterit, isto repugnandi genio *Vigiliarum* Scriptorem laborasse, exiguum pondus apud cautos, & prudentes Lectores quæcunque eius obiectiones, & reprehensiones sunt habituræ, & nihil è contrario eidem obiectari poterit, in quod verisimile non sit pro sua ista præcipiti cupiditate, ipsum incidere potuisse. Qua animaduersione sicuti factum est, vt particulam hanc primam satìs prolixè tractauerim, ita eadem fiet, vt in cæteris, quæ supersunt, longè breuior sim. Post Animi Æstum, Amicissime Antonine, obseruauit Horatius tuus, Falsitatem, atque Mendacia Præceptori nostro in *Vigilijs* obiecta esse. Quæ sanè ita verum est obiecta fuisse, vt libro vix aperto, ex ipso, quod oculos primum incurrit, Emblemate satìs id ab omnibus intelligatur. In hoc enim expressus est non magìs ruditer, quàm saty-

ſatyricè; Alatus; & Falcifer Senex hinc iacentem priùs Veritatem dextra ſubleuans; indè verò fœminam malè claudam, & laruis, atque perſonis indutam (Mendacium vocant Pictores) minis, & ipſa falce, confuſam, & quaſi deſperantem proturbans. Quo ſi inani reſpondendi, imò calumniandi genere ego vnquam delectatus eſſem; tale Emblema his Epiſtolis præfigi, curaſſem, vt iſte homo certè optaret, ſe nunquam ſuum illud excogitauiſſe. Sed Pictores in auxilium vocent, qui ſuo calamo, ſiue; vt rectiùs dicam; ſuæ cauſæ non ſatis confidunt, quique vulgi, & puerorum oculis iſtiuſmodi tabellis gaudentium, non purgatis doctorum hominum intellectibus ſcribunt. Igitur ab Emblemate ad librum veniamus; paginas tamen 53.& 284. conſultò prætereuntes; quanquam enim in prima Præceptor noſter apud Lectores accuſetur, quaſi data opera quendam Berengarij textum magna cum libertate corrupiſſet; in ſecunda verò, quaſi relatas ex *Diſſert. de Rec. Medic. Stud.* quaſdam concluſiones alteraſſet; has tamen accuſationes iam Horatius in ſuæ Epiſtolæ Numer. VI. ſatìs ſuperque propulſauit, quemadmodùm id quoque, quod non ſinè pari iniuria dicitur p. 416. quòd *nobis* ſcilicet, *imponere Antagoniſta conatus ſit, &c.* aut quod *maximè veriſimile ſit, id ipſum ſcripſiſſe quod nunquam vidit*; vt p. 2. *Vigiliar.* quæ duo in eiuſdem Epiſtolæ Num. VII. confutantur. Properemus itaque ad p. 607. in qua alia verba occurrunt huius generis; ſed ita (nam aliter appellare non ſcio) impudentia, vt Horatius ipſe, qui Num. IV. referre eadem inceperat, referre omnia non potuerit. Poſtquàm enim dictum eſt, quòd Præceptor noſter *tam in Dendranatome, quàm in Zootomia, & in alijs Opuſculis tot paradoxa; quot opiniones propoſuit*; clarè hæc, & ſinè vlla hæſitatione ſubiunguntur, *ſed quod maximè feſtiuum eſt, hoc eſt, quod nunquam vidit, ſuis cogitatis accomodauit; ſperans & ob laborem, & ob obiecti paruitatem artificium non poſſe, niſi maxima difficultate, detegi.* Proh hominum fidem! auſum eſſe aliquem (præcipuè tam incerto, imò tam falſo, quale ibi ſequitur fundamento) ita certè, ità indubitanter de illius Viri, qui candore, atque integritate paucos habere poteſt æquales, non ſolùm fallacijs, ſed etiam ſpe ipſa, occultiſque cogitationibus loqui, & prope teſtimonium dicere? At ſi ego, ſi quotcunque intimiùs ipſum cognouimus, qua fide, & penè dixerim, qua religione Vir Integerrimus ſcripſerit, teſtari omnes non poſſemus; attamen publica Viri, & conſtantiſſima fama contra impudentiſſimam calumniam teſti-

D monium

monium diceret; qua silente, Scripta demum ipsa Authoris sui candorem, & ingenuitatem luculentissimè testari possent. Cur enim Præstantissimus ille Vir Suuamerdamius, *præ cæteris huius æui Anatomicis* (vt in suo *Miraculo Naturæ* ipsæ confitetur) Præceptori meo *plurimum tribuebat*? *Non tantùm* sanè *ob accuratam Viri industriam; sed vel maximè ob integritatem eius & fidem.* Vnde autem hanc tantam eius integritatem homo exterus, & remotissimus cognouerat? Ex ipsis Viri Scriptis. Addit enim. *Integritas eius, & fides in his de quibus tractat, perspicuè elucet.* Vellem hic loci confidentissimo isti *Vigiliarum* Scriptori comprobare, in adductis proprijs verbis ipsum quoque à se ipso discordem esse; quippe qui iam p. 174. non ausus fuerat de tali Viro talia credere, nedum affirmare. Sed præterquamquòd huiusmodi repugnantiæ, & contradictiones sunt ipsi admodùm familiares, atque ideò nullius pudoris essent; tum multò magis me commouent, atque percellunt nonnulla, quæ in eadem hac p. 174. impudentiùs addita animaduerto. Inquit enim: *Nolumus credere, Antagonistam scripsisse, quæ non viderit, licèt nonnulli hoc indubitanter affirment*: quæ licet satis indigna sint; est tamen minùs adhuc tolerandum, quod in præcitata p. 607. paulò post adducta, effutitur, scilicet, non ita indeterminatè *nonnullos*, & à se ipsis; sed *amicos communes ex ore ipsius* Authoris id sibi *retulisse*: quod iam anteà in Opusculis p. 183. eructare inceperat, licet minus generaliter, & confidenter, dum inquit, Figuram Spermaticorum Bombycis se *mente concepisse*, *olim Amico nostro ipse Antagonista subindicauit*. At hunc Amicum, aut hos Amicos, si qui sunt (nam vllum prorsus esse non credo) vellem ego, & summoperè optarem, in medium prodire, & vultum efferre, & hæc ipsos dicere, vt raro isto spectaculo incredibilis impudentiæ homines non carerent; sed eorum, qui talia dicere audeant, perfrictam, duram & ferream frontem, ipsumque os petulantissimum possent intueri, & ceu prodigiosæ insolentiæ portentum digito monstrare. Sed ego, vt dico, ita censeo, non esse aliquem, nec esse posse, cui talia vnquam dicere in mentem venerit. Neque vllam inferre me iniuriam, arbitror isti *Vigiliarum* Scriptori; si planè, & apertè dico, nullam ipsum in hac re fidem mereri, non tantùm quia multa superiùs adducta sunt, per quæ ipse videtur, in Viri famam malè esse animatus; sed potissimùm Quia superiùs ostensum est, & prout res feret, quibuslibet ostenderur, non vera ipsum affirmasse, vbi tot verbis, & tanta asseueratio-

ratio-

ratione testificatus est, *nunquam se illam similitudinem adduxisse cum quibusdam frustolis lanæ coloratis*; Quia *Posthumam Responsionem*, quam italico tantùm idiomate compositam fuisse, ignorare non potest, latina etiam lingua conceptam fuisse, Lectoribus sæpè inculcauit; & Quia etiam præter hæc, multa Magistrum meum dixisse, asseruit, quæ nunquam hic dixit, quod in sequenti Epistola ita manifestum est, vt Horatius expressè affirmet, plurimarum, quas ipse attulit, istius hominis obiectionum *magnam partem aut malè intellectis, aut malè relatis eiusdem Viri verbis inniti*, atque superstrui. Quæ cùm ita sint, cùmque Maiores bene, & sapienter decreuerint, quod vsu posteà receptum est, vt qui non verax in re vna deprehenditur, talis in omnibus habeatur; aut homo cunctas hasce, quibus conuincitur, obiectiones, si potest, refellat; aut indignè non patiatur, me intereà non iam in rebus omnibus; sed in hac tantùm, alijsque quas alibi enarrat in meum Præceptorem, fabellis & omnem ipsi fidem negare, & negandam esse, censere.

V. Nunc quando ex superioribus satis liquet, Falsitatem, atque Fallacias & iniuria Præceptori nostro obiectas esse, & videri potiùs in eiusdem accusatore esse reprehendendas; sequitur, Antonine Doctissime, vt eadem de obiectata Viro Superbia ostendamus. Hìc autem non laborabo in respondendo his, quæ in *Vigiliar.* p. 384. absque vllo prorsus fundamento obijciuntur, scilicet quòd *primus in omni loco, & tempore apparere ille voluerit*, maximè cùm circa hanc obiectionem nonnulla superiùs dixerim; vt neque in refutandis his, quæ dicuntur p. 320. quòd nempe *fuerit nimis amans suæ existimationis*, aut his similibus; cùm hæc omnia innitantur certis quibusdam suppositionibus, quæ satis superque ab Horatio reiectæ sunt. Nihil pariter respondendum esse, arbitror ad hæc, quæ habentur p. 416. *Tolerari nequeunt sequentia verba eiusdem, ac si veritas ab eius ore solùm procederet*; ipsa enim Viri adducta protinus verba hanc accusationem refellunt; aut ad illa alia p. 227. *ac si solus esset à secretis naturæ, & solus sciret, quæ penetrari nequeunt*; notum enim publicè est, ipsisque adeò Iuris Doctoribus; vt patet ex recenti Opere *Athenæo Nobilitatis* inscripto; Celeberrimum Virum suæ Artis, suæque scientiæ, alioquin præcipuæ, imbecillitatem, paruitatemque maiori fortassis, quàm plurimos alios Medicos, candore, & sinceritate fateri consueuisse. Quæ verò scribuntur p. 522. *De nostro Antagonista illud idem referre possumus, quod Ga-*

lenus de Pelope præceptore non potuit omittere. Pelops enim omnium causas reddere volebat; Galenus hunc reprehendit, & ambitione magna iactitantem appellat; hæc sanè absque summa admiratione legere non possum; cùm ex ipsa *Posth. Resp.* & speciatim ex huius p. 326. &c., nedum ex alijs Viri *Operibus*; abundè constet, num ipse omnium causas se reddere posse, existimauerit. Nec porrò sinè æquali admiratione perlegi quæ habentur in *Vigil.* p. 297. *Author Posthumus malè cogitauit nullum alium præter se ipsum scripsisse de rebus minimis, & viscerum structura microscopica — Hic est philautiæ affectus, qua viros effæminat. &c.*, Neque enim talis erat Præceptor noster, vt absurda adeò, & inconuenientia credere, & existimare de se posset; neque vsquam in *Responsione* aliquid occurrit, vnde istud possit deduci; Ait ipse (& satis quidem, vt supra probauimus, verisimiliter) se potissimùm in Subtilioris Anatomes oppugnatione impetitum fuisse; non verò se solum subtiliorem anatomen exercuisse. Et profectò tantùm abest, vt similis cogitatio Viri animum subire posset, vt quanquam in eadem Anatome omnibus præstare; de se tamen, suisque rebus summa cum modestia loqui soleret, dum alios interim existimatione, & veneratione incomparabili prosequebatur. Quod ipsum testantur eximia quoque eius Inuenta, & Cogitata non solùm absque vlla prorsus iactantia; sed cum tanta modestia, & moderatione proposita, vt hæc illi damno esse posset; vt vel ipse in *Resp.* p. 379. aliquando animaduertit. Et reipsà; tametsi Cl. Petrus Regis esse aliquem, negauerit, qui hanc tantam eius modetationem non agnoscat, atque suspiciat; *Vigiliar.* tamen Scriptor non semel ab eadem occasionem cepit conuiciandi Modestissimo Viro. Primò enim in *Opusc.* p. 182. *Quandoquè*, inquit, *Antagonista sinè suo nomine expresso scripsit; non alio fine nisi quia suam lubricam cognoscebat doctrinam, vt patet de Ductibus adiposis, quos naturæ imposuit*; in *Vigilijs* verò p. 52. & alibi, *Antagonista non cognouit vasa vteri, quæ an sint Laurentij, Riolani, & aliorum processus, vel deferentia vasa, an Graffii lacunæ, an fœminarum prostatæ an aliud vasorum genus maturè iudicare non potuit, ac si non fuisset subtilis Anatomicus, & non extarent descriptiones prædictorum Authorum*, & tamen in re (quidquid iste garriat) obscura non minùs modestè, quàm prudenter suum suspendere iudicium maluerat: quod verò attinet ad Ductus Adiposos; de his nihil isti homini respondendum censeo, qui ne hoc quidem vnquam; vt Horatius probat; est assecutus, vt quid sint Vasa Adiposa intelligat.

telligat. Et hæc quidem obiter; Illud ex professo; Viri modestiam tantam fuisse, vt vel ipsi nocere potuerit. Sed negat *Vigiliarum* Scriptor, tantam modestiam, & moderationem in illius *Operibus*, præsertim Posthumis elucere. In hoc enim sensu inquit p. 540. *Considerentur Epistolæ Messanenses, Anglicana, & huiusmodi, quæ ab alijs communiter supprimuntur, & nomine proprio non eduntur.* p. verò 475. *Antagonista noster in toto cursu suæ vitæ omnia sibi tribuit, quam intemperiem, &c.* Quibus ego multipliciter possum respondere. Primò. *Operibus Posthumis*, vel ipso *Vigiliar.* Scriptore non diffitente, multa ab alijs post Viri mortem intermixta esse: fortasse igitur istos magìs considerasse, quid Lectoris desiderium ad historiæ complementum, aut quid amor in Virum suus expeteret, quàm quid ipsum propriam vitam scribentem deceret; Deinde Vir Magnus reipsà plurima fecit: quæ consequenter æquum est, ipsum, dum præsertim suæ vitæ historiam scribit, sibi non tantùm tribuere; sed etiam, vbi opus sit, vindicare; Cur autem plurima, *Vigiliarum* Scriptori esse *omnia* videantur, fortassis ex III. Epistolæ huius Numero satìs manifestum est; Illud verò mirum est, quòd tali homini adeò nota dignum, & reprehensione visum sit, quòd aliquis sibi sua tribuerit præsertim, dum propriam Vitam conscriberet; cùm ipse; vt patet, ex Num. III. sequentis Epistolæ; sibi aliena in suis *Vigilijs* passim arroget; non solùm autem sibi arroget; sed sæpissimè, & ad nauseam vsque id repetat, seque per aliena Inuenta exercitatissimum Anatomicum venditet, quem alioquin scimus, ne ipsum quidem vteri situm.... sed hæc, & similes, indicatæ alibi, lepidissimæ historiæ ad aliud tempus, aliamque occasionem reseruentur. Denique illud propemodùm respondebo, quod Secundus in re simili respondit Rufoni (*Epist.* l. 9.) *Omnes ego, qui magnum aliquod, memorandumque fecerunt, non modò venia, verùm etiam laude dignissimos iudico, si immortalitatem, quam meruere, sectantur, victurique nominis famam supremis etiam* scriptis *prorogare nituntur. Nec facilè quenquam, nisi* Præceptorem meum *inuenio, cuius tanta in prædicando verecundia, quanta gloria ex facto*. Et sanè quid verecundius, quid modestius vnquam fuit, quàm ipsum *Posthumum Opus*, in quo & solicita ad omnes, qui sibi aliquid opposuerunt, responsione suam erga omnes existimationem, demissis autem, & humilibus vt plurimùm verbis propriam modestiam luculenter patefacit in tantùm, vt in ipsa prima *Operis* pagina se *omnium minimum*

mum vocare non dubitauerit? Cui modestissimæ voci cùm plures aliæ, in ipsa speciatim *Responsione*, similes occurrant; tum istæ quàm simillimæ sunt, quas p. 379. reliquit. *Io non entro nel numero degli Autori, pretendendo d'imparare come scuolare da tutti*. In hæc tamen ipsa verba in *Vigiliar.* p. 540. ita scriptum inuenio. *Hæc verba continent aliud, & aliud, cuius signum est, quod in sua Vita omnes flagellat, excandescens contra eos, qui eundem non sequuntur*: quibus similia p. antecedente comperio, videlicet *Potiùs sentiendum esset, esse speciem tyrannidis irasci contra nos, & eos, qui bene nobiscum tenent, ac si quilibet non posset ad libitum opinari, &c.* nec non in Præfatione p. xxxix. *Magna præsumptio est ab alijs sibi reuerentiam exigere, & alijs silentium imperare velle, immo irasci, si liberè opponant in materia disputabili; quare hoc eueniat si interrogaretur D. Augustinus profectò responderet infirmitatem hanc ex animis nimium elatis oriri*. „Nulla, „ *inquit*, præsumptio perniciosior, quàm de propria iustitia, „ ac scientia superbire„. *Summum malum est omnia sibi asciscere, nihil alijs tribuere; sed quicunque turgent, non sustinent meliora verba audire, &c.* & vt aliquando finem faciam, etiam p. 418. *Antagonista excandescebat, & irascebatur, quoties aliquod suum cogitatum aut in academijs, aut in lectionibus publicis, aut ab aliquo authore impugnabatur, ita, vt etiam nonnulli lectores, ne indignationis præiudicia experirentur, se abstinuerint ab ordinarijs lectionibus, alij academias ad iuuentutis eruditionem institutas prætermiserint, aut argumentum mutauerint, & hæc sunt nota in nostra Patria*. Ego quidem sæpe conquerentem Virum audiui, quòd sua indecentibus modis impugnarentur; nunquam autem, quòd impugnarentur. Nimirùm honesto Viro, & qui summa alios veneratione prosequebatur, ioci, & scurrilia; quemadmodùm ipse quoque alicubi testatus est; pertinax quoque, & quasi ex composito ipsum, eiusque Studia apud indoctum vulgus traducendi consuetudo tandem aliquando displicebant; ratio autem nunquam displicebat. Imò cùm per istas sui non tantùm, sed & Rationalis Medicinæ irrisiones incautos iuuenes ad temerariam, & otiosam alioqui Empiricam allici videret, sicuti Vir rectus, & sapiens erat, de istorum potiùs periculo, quàm de proprijs contumelijs, atque offensionibus conquerebatur. Nec porrò aliud esse potest Bononiæ notum; & si qui verè sunt, qui se à lectionum, aut academiarum certis argumentis abstinuerint; ad hoc eosdem non Viri innocentissimi

metus;

metus; sed turpis maledicentiæ pudor induxerit. Quòd verò dicitur *in sua Vita omnes flagellare, excandescens contra eos, qui eundem non sequuntur*; non opus est, vt hìc longiùs refellatur; cùm qua modestia, quibusque vtplurimum verbis in eadem ad obiectiones responderit, paulò ante dictum sit. Illud tantummodò hìc aduertamus, reuerà aliquos, inter quos est *Vigiliarum* Scriptor, & pauci alij huius amici, illeque imprimis, qui cùm anteà per plures annos Præceptoris nostri auditor fuisset; non sinè ingrati animi nota, hunc posteà, huiusque labores dictis, & scriptis prosternere; vt vel ipse aiebat; tentauit; hos, inquam, aduerto, atque confiteor, non pari cum alijs veneratione in *Posthumo Opere* tractatos fuisse. At præterquamquòd semper meminisse oportet; quod vltrò ipsi quoque concedunt; multa *Posthumis* ab alienis manibus intermixta esse; vt rem hanc vno verbo absoluam; promeriti ne isti fuerant, vt pari cum alijs, Præstantissimis nempe, & Modestissimis Authoribus reuerentia, & veneratione tractarentur? Ita vt mirum in modum obstupescam, dum lego in *Vigil.* p. 599. *Antagonista noster Kerckringio gratias egit; nunquam autem nobis, licèt eundem vtiliùs voce, & calamo sæpiùs admonuerimus*; aut dum in p. 495. eundem hunc hominem quasi conquerentem obseruo, quòd sibi ijdem tituli, eædemque laudes in *Posthumo Opere* non tribuantur, quæ Famigeratissimo Viro Georgio Entio tribuuntur: quæ præterea, & similia an scribere deceat, qui alios superbiæ passim redarguit, mei Lectores arbitri sunto. Interim cùm isti homines, quos indicabam, paucissimi sint; non video, cur omnes asperè, & duriter in illo *Opere* acceptos esse, affirmari potuerit; & ne qua ratione reliqui tractati fuerint, nunc singillatim recenseamus; nonne ipse, de quo modò loquebar, Entius, tametsi paulò dicaciùs cæteris (pro sua tamen, vt puto, ingenita, & consuetâ scribendi libertate) nonnulla in præclarum quoddam Viri Inuentum iecisset, & tantò dicaciùs, quantò grauioribus, & quantò pluribus in illa obiectione erroribus ipse interìm labebatur (quemadmodùm in *Posthumis* pag. 11. 12. &c. vbi illa obiectio diluitur, perspicuè ostensum est, sic vt omninò superuacaneum, imò ridiculum sit de eadem, quasi adhuc vigente, & vera mentionem iniectam fuisse in Vigilijs p. 495.) nonne, inquam; idem Entius, ijs non obstantibus, *Clarissimi, Doctissimi, Exercitatissimi* appellatione passim in eodem *Posthumorum* loco insignitur? Sed penè incautus ego, &

impru-

imprudens illuc interim veni, atque incidi, quò me *Vigiliarum* Scriptor expectat. Ex hoc enim eodem loco, vnde ego Viri Probitatem, & Moderationem elucere, confido, contendit ille malignitatem, atque ambitionem Lectoribus demonstrare. Ita enim scribit p. 495. *Si quaeras lector diuersitatem, & rationem istius modi procedendi duplex occurrit, altera est, Entium esse Londinensem socium, non Collegam Bononiensem; altera est, titulorum magnificentia, quae ita distrahebat animum Antagonistae, vt, &c.* Quod vltimum dicitur, quia Entius; vt aequum fuerat; Praeceptorem nostrum *Clarissimi* appellatione vocauerat; & quia aliàs Modestissimi Viri Praeceptoris nostri, aliorumque Recentiorum animus istiusmodi nugis, & titulis plurimùm gaudere, atque inflari à *Vigiliar.* Scriptore creditus est: quod ego vnicè hìc perpendam; cùm de ista quidem *procedendi diuersitate*, & de Viri composito, proboque animo satìs superiùs scriptum sit. Hinc tamen quàm breuissimè potero, me expediam, satìs sciens, Praeceptorem nostrum, & propriam, & caeterorum Recentiorum Modestiam in suae *Resp.* p. 379. & 380. sufficienter defendisse; quidquid in oppositum garriat *Vigiliarum* Scriptor p. 541., cùm iste inter Veterum, & Recentiorum merita aequus iudex esse non possit. Itaque illud vnicè hìc dicam; Magistrum meum neque in citato loco erga Entium, neque alibi erga caeteros, praeclaris ideò titulis, & appellationibus vsum fuisse, vt alios ad secum pari modo agendum obstringeret, atque impelleret, aut etiam vt collatos sibi vltrò titulos gratos fuisse, declararet; sed tantùm ne vrbanitatis, & communis consuetudinis superbus contemptor videretur: quam ego rationem non semel ab ipso audiui, dum Messanę olim commorabatur. Quòd si etiam illi, quos nunquam anteà in suis *Operibus* ipse nominauerat; *Praestantissimi, Incomparabilis, Magni, Immortalis,* appellatione eundem passim & scriptis, & viua in suis Academijs voce nuncuparunt, & adhuc nuncupant; aut si illi, quos ipse prior cùm nominasset, titulis insignire saepiùs omiserat, si illi, inquam, ipsi praeclarioribus eundem appellationibus honestarunt, & *Principem Anatomicorum* appellauerunt, quae culpa proinde, quae reprehensio in Virum Modestissimum aequè & Meritissimum refundenda est? Nam si ego postulem ab ipso *Vigiliarum* Scriptore, cur penè in fronte sui libri talia verba posita sint, per quae ipse *ad artem medicam exercendam, veriorem, ac tutiorem viam ingeniosissimè aperuisse* dicitur, *non ordinaria eruditione, &c.* etsi pro-

probabile, imò certum est, illum hæc omnia præsciuisse, & potuisse etiam effugere, imò debuisse, maximè cùm in Præfat. p. xxi. tales *qui in messem alienam falcem immittunt*, *prædicatum*, *& oratum* ablegasset, *monuissetque*, *vt se abstinerent ab impropria cognitione*, sed *Christo militarent*, *& opinionibus secularibus non se implicarent*; attamen idem mihi, quod Præceptori meo, respondebit, obijcienti, cur ipse, qui Recentiorum titulos adeò improbat, in quadam Epistola à iuuene eius sectatore publicè ad ipsum data, non solùm *Virorum Sapientissimum*, & *Solertissimum Ingenium*, sed etiam *Virum Virtute*, *Doctrina*, *Experientia Celeberrimum* se appellari, passus sit, imò *Lycei Bononiensis Primarium Lectorem*, qui titulus in eo Archigymnasio non inuenitur; respondebit scilicet; vt *Vigiliar.* p. 542., *neminem teneri pro facto alieno*, & se consequenter non esse arguendum. Ego tamen, vt quid in hac re sentio candidè exponam, vnàque ad alteram istius Numeri partem transeam; illud dicam, Non videri mihi *Vigiliarum* Scriptorem illustrium harum appellationum adeò inimicum, quando tam solicitè (si quis probè attendat) quanquam infeliciter, & frustra, laborat p. 543. vt probet, affictum sibi *Lectoris Primarij* titulum, quemadmodùm à Bononiensibus Mathematicis, & Iuris Doctoribus adhibitus est, ita sibi (nam hic Posthumæ Responsionis sensus est) Medicinæ Ordinario Lectori conuenire. Imò illa ipsa communium modò titulorum ostentata contemptio; si Magnis quidquam Scriptoribus credendum est; vti iam admissam ab omnibus consuetudinem, & publicè, & audacter condemnat, ita animum indicare videtur, qui se vnum præ omnibus rectè iudicare, censet, seque vnum omnibus longè anteponit. Quod mirum omnino est, hunc hominem non præsensisse de se fore à multis existimandum; cùm ipse in re (vt putabat) simili in Præceptorem nostrum confidenter iecerit p. 596. illam D. Gregorij sententiam, *Multi communem scientiam habere refugiunt, ne cæteris æquales æstimentur*, & p. 479. hæc verba. *Propositiones nostri Antagonistæ ferè semper sunt paradoxæ; hoc erat ipsi familiare, vt sermone inflato vteretur de industria ad distinctionem inter vulgares homines sibi comparandam, qua re nihil odiosius, si credimus Plinio*. Quot modò putas, Antonine, hæc sua propemodùm verba in ipsum torquebunt, aut illud Iuuenalis *Tertius è Cęlo cecidit Cato*, qui nempe *nostrorum temporum*, *nostrorumque titulorum intemperiem* vnus castigare audet, & moderari se posse, pro sua nimirùm

feueritate, & modeſtia confidit. At qua feueritate? qua modeſtia? Illud inprimis attendendum eſt, hunc hominem in ſuis Opuſculis, præcipuè autem in hoc *Vigiliarum* libro nullo alio vtplurimum nomine Celeberrimum, atque Incomparabilem Virum Præceptorem noſtrum appellare, quàm *noſtri Antagoniſtæ, noſtri Aduerſarij*, ac ſi talis, tantuſque Vir huiuſmodi homini aduerſari, & cum ipſo contendere vltrò, & conſulta opera voluiſſet, contra quem ne verbum quidem vnum ſcribere vnquam cogitaſſet; niſi aſſiduæ contradictionis peruicacia, & iactata quotidie apud plebem dicteria, ſuorumque Studiorum in *Differt. de Rec. Med. Stud.* ſpecialis, & prope expreſſus contemptus repugnantem quaſi, & inuitum tandem aliquando pertraxiſſent ad iniurias potiùs, quàm ad obiectiones refellendas; has enim nihili ipſum feciſſe, ex eo manifeſtum eſt, quòd non niſi ſubſeciuis horis Reſponſioni incumbere ſuſtineret; vt ſuperiùs dicebamus. At ille, „qui fortè audierat aliquando, „ incognitos homines ob egregiorum Virorum inſectationem „ claros euaſiſſe; quemadmodùm Hippocrati Lycus, & Iulia„ nus, Platoni Moto, Ariſtoteli Eubulides, nominis conqui„ rendi cauſa aduerſati ſunt; ita ipſe, vt magnis clareſceret „ inimicitijs„, multùm ſua intereſſe, arbitratus eſt, ſi perpetuo iſtarum appellationum vſu perſuadere populo, & plebi vnquam poſſet, non ſolùm ſe Viro Celeberrimo aduerſatum eſſe; ſed hunc ipſum ſuum *Aduerſarium, ſuumque Antagoniſtam* fuiſſe: qua in re vt omnes manifeſtum hoc, miſerumque artificium cognoſcunt; ita nemo eſt, qui ingentem honoris cupiditatem in ſeuero iſto Titulorum Cenſore, ex re eadem non ſuſpicetur. Nec verò ex ſolis verbis, atque vocabulis ambitioſam hanc cupiditatem in iſto homine eſſe, conijcitur; ſed ex his etiam, quæ in ſuo libro tractare audet, aliquid ſuperbæ præſumptionis in eiuſdem animo apparere poteſt. Vt enim mittam, Sacroſanctæ Theologiæ receſſus, & penetralia, quæ ſubire vix iſtis licet, qui totam vitam inter Scripturas, & Patres quieto, ſacroque animo conſumpſerunt, quanta libertate ſubeat, & quanta ſecuritate peruagetur; aut quomodò ex aduerſo de Duellis, eorumqne conditionibus diſputare non timeat, quorum nempe ſummis difficultatibus implicitas regulas, & controuerſa, abſtruſaque axiomata ne illi quidem ſæpenumerò ſatis intelligunt, qui inter arma, & enſes nutriti, & ſemper verſati, nil aliud vnquam animo, quàm Duellorum iura agitarunt, &

reuol-

reuoluerunt; vt, inquam, hæc, aliaque similia prætermittam; Qua confidentia, & qua libertate ausus est de *Microscopij Vsu* publicè sententiam ferre, & speciatim scribere homo ne in primum quidem Matheseos atrium vnquam admissus, & qui; si mihi vera narrata sunt; quotiescunque, inter legendum, in figuram aliquam mathematicam incidit, à simpliciori, faciliorique constructione perterretur. Quanquam quid opus est ad alienas relationes confugere; cùm ex ipso hoc Opusculo satìs eius in Re Mathematica præstantia, & virtus agnoscatur. Quid enim, obsecro, in medium affert, quod ex dioptricis meditationibus ipse collegerit? aut potiùs quid affert, quod cuique, non dicam in Dioptricis exercitato; sed cuique microscopium nunc primùm experto longè notissimum non sit? Vides enim, vt p. *609.* solicitè rem inculcet ne vno quidem verbo attingendam; eandem scilicet lentem non omnium oculis æqualiter inseruire; sed prout oculi vnius hominis ab alterius oculis differunt, lentis quoque acutiem differentis gradus esse debere; Vt p. 614. seriò scribat: *lens vitrea ex vna parte plana, ex alia conuexa non distinguitur à microscopio, vnde non semper microscopium ostendit figuram*; quasi verò etiam lentis, exiguæ omnino magnitudinis, qualisque esse ea solent, quorum figuram microscopio detegere necesse est (in sensibilibus enim, quippe quæ oculis satis distinguimus, microscopium decipere non potest) quasi, inquam, talis etiam lentis figuram microscopium non posset ostendere; & vides denique; Vt p. 605. referri illuc posse, dicat, *insigne* quoddam *phænomenon, quod maximas parere potest allucinationes, quodque semper se vidisse, & obseruasse microscopijs diuersis compositis ex duabus, & tribus lentibus, non simplicibus,* solicitè testatur, quod denique nihil aliud est, quàm notissima, atque ideò minimè periculosa obiecti inuersio; imò ad hanc rem confirmandam, atque ostendendam, suam quandam nobiscum communicat, raram ædepol! obseruationem, quòd scilicet ipse *quondam microscopio trium lentium intuebatur numerum 900. & in hac inspectione non solùm ly 9. mutauerat situm à dextra parte ad sinistram, sed etiam inuersum fuerat, vt non repræsentaretur amplius ly 900. sed hoc modo 006., & loco ly 9. ostendebatur 6.*, vnde eruit suum illud inauditum, & necessarium prorsus monitum, quòd *quando opus est microscopio plurium lentium, non statim est pronunciandum iuxta formam rei apparentis beneficio microscopij, &c.* Quid, quòd de maculis solaribus p. 615. &

ſequentibus talis homo diſputare non dubitat, & *moderari* præſumit *concluſiones*, *quæ* à Peritiſſimis Aſtronomis *ex teleſcopijs deducuntur*? Nonne quando etiam nugæ iſtæ, atque ineptiæ, quas adducit, veriſſimæ eſſent; magna ſemper præſumptio fuiſſet eaſdem adducere? Obſecro enim, Num quæ ipſe rerum iſtarum omnino imperitus, cognoſcere potuit, Ingenioſiſſimi, & Exercitatiſſimi Viri per ſe ipſos aſſequi non potuerint, ſic vt huius hominis admonitionibus, & moderationibus indigeant? Et tamen miſeros Claramontem, atque Cardoſum naſo ſuſpendit, & quaſi ex cathedra in hac materia loqui poſſet, p. 616. non veretur dicere *iuxta nos*. Quid ego omnia? Sedet iudex inter Magnum Galilæum, & Scheinerum Famigeratiſſimun Virum; Imò priorem illum, Matheſeos, atque Italiæ ſuæ Decus, & Lumen Incomparabile, modò *ſupponere*, *& non probare*, modò *principium petere*, modò meliùs acturum fuiſſe, ſi Peripateticis reſpondiſſet, non illuſiſſet, abſque vlla hæſitatione pronunciat. Hæc omnia in tali homine, qualis eſt *Vigiliarum* Scriptor, miranti, tantæque præcipitantiæ, & confidentiæ cauſam petenti, vereor ego, Antonine Doctiſſime ne quis, conſiderans, hunc ipſum hominem Modeſtiſſimum Virum Præceptorem noſtrum, qui certè nunquam de Aſtronomis ſententiam dicere ſibi arrogauit; ceu omnium cauſas reddere vellet, *ambitione magna iactitantem* ex Galeno appellauiſſe; illi interrogationi his Cardani verbis reſpondeat. *In cauſa eſt ſumma ambitio vnius viri, qui properanter multa ſcripſit*, & iſta *nec emendatè, nec conſtanti animo, ſed vt alijs contradiceret, multumque perſuadens ſibi ſcire, quorum vix rudimenta prima attigerat, in quibus tamen ſe excellentem putabat*. Quòd ſi tantum in his præſumere viſus eſt, quæ ad ipſum minimè ſpectabant, Scientijs; quantam putas, in his poſteà, quas profitetur, præſumptionem oſtendiſſe? Non hìc quæram, an iactanter ſcripſerit p. 283. *Poſſumus pro veritate teſtari, nonnullos Doctores obſeruaiſſe ferè coætaneos, quos ita impugnauimus in publicis ſcholis tota audiente Academia, vt nullatenus reſponderent; &c.*, aut p. 61. *Meminimus etiam in noſtra Anatome publica arguiſſe contra vaſorum adipoſorum exiſtentiam, & Antagoniſtam præſentem dixiſſe priuatim argumenta eſſe neruoſa, & reſponſionem eſſe ſedulò quærendam*; aut demum pag. 65. *Hoc argumentum in noſtro Archigymnaſio Publico propoſuimus præſente Antagoniſta, qui manus victas dedit, & in Opere Poſthumo, vbi matura reſponſione ſe munire poterat, altiſsimo ſilentio eandem*

omiſit

omisit cum multis alijs argumentis contrarijs à nobis factis, ac si res, quæ magnò stant, non haberent locum in illa propria eulogia. in quibus duobus vltimis (de primo enim alij viderint) potiùs miseratione, quàm responsione dignus est; cùm quod alij omnes, qui audiuere, intellexerunt, vnus ipse non intellexerit; ironicè nempe Cl. Virum ista dixisse. De his, inquam, omnibus non quæram, an iactanter prolata sint? Illud verò abs te petam, Antonine, qui & ipse Vir doctus es, & quotidie cum doctis Viris, qui tuam semper domum frequentant, familiarissimè versaris, an iactanter hæc scripta sint in p. 173. *Quid præstent tubæ vterinæ in animalibus valde ignotum est; hodiernis diebus placet sententia, quod sint ouiductus, sed nostræ obseruationes, & argumenta applausum coercuerunt — videantur nostræ Exercitationes Scepticæ de Generatione Viuipara*? Breuitatis amor vetat, huic rei prolixiùs nunc immorari, cogitque, vt ad alia pertranseam. Quædam sua argumenta in *Dissertatione de Rec. Med. Stud.* proposita, noster hic homo tanti fecit, vt eadem *ita se cogere*, ibidem dixerit, *vt nunquam esset existimaturus aduersarios satisfacere, etiamsi cum suis Authoribus in æternum sudarent*. Quare mirum posteà non est, si in *Opuscul.* p. 198. & seq. tam solicitè laboret, vt discutiat id, quod dixerat Gauinellus, istam scilicet, tanti à se æstimatam, *Dissertationem* alterius cuiusdam opus fuisse; Neque pariter mirum est, si in Opusculis iactitat, obscuriùs quidem p. 179. at clariùs sub Præfationis principium; eiusdem, & alterius suæ *Dissertationis* exemplaria omnino à Bibliopola distracta esse, & *assiduè* adhuc *peti*, & desiderari. Illud verò mirum est, quòd post hanc eorum distractionem, & assiduas istas petitiones, imò postquàm Author Primæ, & Secundæ *Dissertationi Appendicem* quoque addidit; nihil apud Doctos ipse profecerit, nihil obtinuerit; Etenim post hæc omnia, vel ipse coactus est ita scribere; vt alibi retulimus; inter ipsa Apologiæ suæ principia. *Applausus, repetitæ editiones, nonnullorumque Doctorum testimonia, quibus opposita nobis doctrina velut inconcussa, & demonstrata asserebatur animum nostrum iterum mouerunt ad assumendum quarta vice calamum.* Qua ex re duo mihi deduci posse videntur; alterum, Illa igitur *Dissertationis* Primæ argumenta non sinè philautia, & superbia quadam neruosa adeò, & efficacia ab Authore suo in eadem iudicata esse; alterum, Non sinè maiori superbia velle hunc adhuc suas rationes, suaque argumenta Doctis inculcare, quasi isti, postquàm illa per tres vices refricata, & recocta sunt; nondum

satìs

ſatis eorum vim percipere valuiſſent. Et profectò mihi videntur quotcunque docti, & eruditi Homines in hoc quartum Opus inciderint, tam raram ſecum importunitatem mirari, & graui contractaque fronte ita dicere. Quid nobis adhuc cum iſto homine? Putatne igitur, nos adeò hebeti, adeò retuſo ingenio eſſe, vt nondum ipſum,eiuſque ſententiam ſatis cognoſcere, atque intelligere potuerimus? Num ſatìs ipſi non eſt, nos iudicium noſtrum ſilentio ipſo, & nulla ferè ſententiæ ſuæ mentione, nedum comprobatione, protuliſſe? Non videt in *Actis* noſtris *Lipſienſibus* ne verbum quidem de ſe factum eſſe, cùm Primam, non cùm Secundam *Diſſertationem*, non cùm *Scepſim* priorem, non cùm Alteram publicam fecit? Non videt, hos ipſos ex nobis, quos viuentes adhuc, *Antagoniſtas* vocauit, aut quibus inſultauit, vt Clariſſimos Viros Iohannem Bohnium, Petrum Regis, Danielem Clericum, & Iohannem Iacobum Mangetum ne tanti quidem ipſum feciſſe, vt vel vno verbulo reſpondere voluerint? Quòd ſi adhuc expreſſis verbis ſententiam, & iudicium noſtrum deſiderat; cur ipſi non ſatis eſt, quod noſtro nomine attulit Doctiſſimus Bertini; Celeberrimi nempe illius, quem inſectatur, Viri fundamenta, atque rationes ineluctabiles nobis videri, aut illud aliud, quod olim antequàm ipſum, eiuſque ingenium ex toto nouiſſet, prælaudatus Bohnius protulerat, iſta nempe recantata eius *ratiocinia infirma* eſſe, *dogma* verò *periculoſum*, *& temerarium*. Iſta, quæ nunc Doctos omnes de hominis Apologia dicentes induxi, quemadmodùm veritati innixa ſunt, ita ab iſto ipſo homine, antequàm Apologiam ſuam ederet, proſpici omnia, & maturè præuideri potuiſſent; niſi quæ philautia, prima illa argumenta indiſſolubilia eſſe, perſuaſit, eadem fortaſſe ipſius mentis aciem præſtringere, & prope obcæcare adhuc pergeret in tantùm, vt Apologiæ quaſi ſecurus, otium interim, & audaciam habeat minitandi, *Carteſiani erroris grauitatem contra eundem Carteſium ſe* propediem *eſſe demonſtraturum*; Contra Recentiores Medicos, & Anatomicos, quæ quiſque Veteribus furatus ſit, ſe paulopoſt eſſe oſtenſurum; De Structura Neruorum, & Succo Nerueo ſe noua quædam contra huius Defenſores eſſe propoſiturum, centumque alia: quæ ego tamen quantùm poſſum auidiſſimè expecto. Poſtquàm enim hunc *Vigiliarum* librum, quem adeò iactabat, perſpexi, & in ipſo, quænam eſſent, aut eſſe poſſent illæ obſeruationes, quas de *Medulla Oſſium*, *eiuſdemque Marſupijs, & capſulis*, quas *de Glandulis*, & *de Linguis Animalium*,

quaſ-

quasque potissimùm *de Pinguedinis vsu, & circulatione, &c.* iam in Opusculis p. 66. *litterario Orbi se communicaturum* promiserat; non possum non absque magna impatientia reliqua omnia expectare. Tantùm namque abest, vt cuiquam Recentiorum hæc sint obfutura, vt potiùs hominis affectus, & errores luculentiùs sint ostensura. Accedit, in tam vasto hoc *Vigiliarum* libro tot, & tam varia, tamque abnormia effutita esse, vt nemini vnquam deesse possit ratio, noua, quæ edet, per ipsa, quæ iam edidit, implicandi, conuincendi, refutandi. Mihi verò imprimis, cui librum hunc assiduè perlegenti prope infinita notata sunt, multi sunt loci designati, in quibus ipsum quasi in ancipitibus, & periculosis quibusdam angustijs opperior; Iam enim prospicio, quàm facile sit, vt de ijs omnibus, de quibus promisit, acturus, talia dicat, quæ cum certis illis, quos ego præ cæteris notaui, locis minimè consentiant; vt illa omittam, quæ speciosissima promissa, & toties repetita, minimè implebunt. Verùm ad institutum iam reuertamur.

VI. Ex Morum erroribus, qui in *Vigiliar.* libro Præceptori nostro obiecti sunt, Aliorum Contemptus iuxta Horatij enumerationem, est vltimus; iuxta verò hominum inuidiam, atque odium, facilè primus. Nos tamen nihil hìc in Viri Cl. defensionem afferemus; cùm in superiore particula, quid de alijs sentiret, iam satis dixerimus, cùmque multas illic soluerimus obiectiones huius generis; eæ verò, quas non soluimus, quàm facillimæ sint solutu. Quod enim obijcitur in *Vigiliar.* p. 450. *Si authbor Responsionis, &c. nec contemptor fuisset veterum authoritatum; sicuti nec ita cupidus nouarum quæstionum, solùm putans rectam scientiæ viam, quam conceperat eo vsque, vt ad arbitrium suum vtriusque Orbis putaret inclinandum esse iudicium;* hoc certè cuicunque in Viri *Operibus* vel mediocriter versato, nullo negotio refelli potest, vt pote in quibus, quandocunque potuit, Hippocratis, aut etiam Aristotelis, aut &c. authoritate suas sententias confirmauit; cùm verò non potuit; non ob id contempsit; Non enim Naturam potiùs, quàm Veteres sectari, est *Veteres contemnere*; multò minùs est *ad arbitrium suum vtriusque Orbis putare inclinandum esse iudicium*. Illud autem, quod p. 275. in eundem iactatur. *Multa* nempe *faciliter dici, quæ veritatem pro scopo non habent; sed vel philautiam, vel aliquam aliam intemperiem vt opponendi libidinem, vel aliorum contemptum, vel adorationis desiderium, & huiusmodi;* hoc etiam facillimè concidit; cùm Horatius suæ *Epist.* Num. VIII. huius con-

conuicij fundamenta sustulerit. Quod verò dicitur p.471., Montanarium scilicet, & Montalbanum ideò in *Posth.Resp.* à Cl.Viro notatos esse, *quia idem plurimum sibi tribuebat*, item quod dicitur p. 480. quòd *si historiola de remedio veneni viperini*, *&c.* Sodalem quendam *Vigiliarum* Scriptoris spectantes, *omissa fuissent, laudatus esset Antagonista, &c.*, neque hæc duo quidquam faciunt. Primos enim non libidine quadam se extollendi per eorum depressionem, neque ab re profectò notauit; sed ne gratis asseruisse videretur, obseruationes anatomicas rectè atque vtiliter instituere puri philosophi, aut &c. nequaquam esse; vt ex p.354. *Resp.* cuilibet notum esse potest. De isto autem altero homine, eiusque meritis nominatim differere hic nolumus, ne cuiusquam cineres vexare videamur; Illud tamen præterire non possumus, ridiculum omninò esse quod innuitur à *Vigiliar.* Scriptore in citata p. 480. non teneri se de Sodale rationem reddere; sed teneri potiùs Cl. Virum, quippe qui eiusdem Magister fuerat; quasi verò omnibus notum non esset, hominem illum in ea absurda tunc solummodò incidisse, postquàm à longo iam tempore Præceptori rebellauerat propter easdem, quas noster commendat, ratiunculas; per quas pariter in istas empiricas præcipitantias coniectus est; etenim nisi ea commenta in tantum Zootomiæ, & recentium Experimentorum contemptum hominem adduxissent; quemadmodùm aliàs in Stenoniano illo experimento publicè derisus non esset; sic neque ea vice eundem successum eius experimenta habuissent. Sed de his satìs. Interim cùm nihil aliud succurrat, quod à Modestissimo Viro hac in parte propulsemus; reliquum est, vt quomodò erga Alios se gesserit *Vigiliarum* Scriptor, videamus. Et in primis illud certum est, Recentiores, & quoscunque propemodùm Recentiorum labores ab eodem passim redargui, & paruipendi; Atque vt incipiamus à leuioribus; Quis neget, Recentiores Logicam Facultatem multò faciliorem reddidisse, dum multas superfluas quæstiones, & barbaras cantilenas Tyronibus onerosas magìs, quàm vtiles, sustulerunt, harumque vice alij quidem non ita pauca, alij autem paucissima; omnia tamen vt plurimum Facultatis ipsius vim, & summam enucleantia, & ante oculos ponentia, luculentissimè adiunxerunt? Et tamen ille homo contrarium omnino censet p. 425. *De philosophia,* inquit, *loquimur, vt de logica moderna, cuius maxima pars est superflua; miscentur enim cum logica, quæ nihil ad logicam pertinent, & apta confundere animum logici, non eundem præparare ad scientias.*

tias. De Philosophis autem Recentioribus ita loquitur p. 75. *Democritus figuras sustinuit, Aristoteles impugnauit. Democriti sententiam tuentur Descartes, Willis, Du Hamelius, Philosophi Burgundici, Bellinus, Blancardus, Ettmullerus, Diemerbroechius, Taurry, & alij plures; sed non soluunt argumenta Philosophi (quæ tamen à nobis facillimè soluerentur, si opus esset) nec discutiunt cardinem controuersiæ; crescunt quidem quotidie libri, sed non crescunt cognitiones*: quæ verba an aliorum contemptum, suique prædicationem sapiant, Lector iudicauerit. De Recentioribus verò, siue nostris Rationalibus Medicis vide quid sentiat p. 362. *Sine* subtiliori *anatomia*, inquit, *medemur, & præcipui medici non habuerunt, nec habent, istius anatomiæ cognitionem*: quo in sensu etiam dixerat p. 353. *meliores medicos in prædictis controuersiis, & cognitionibus parum, vel nihil esse versatos quotidiana experientia ratum facit*. Quod idem est, ac palàm, & apertè dicere, tot Egregios, & Ornatissimos Viros, qui omnium consensu in medicina facienda hoc tempore excellunt, cùm in his cognitionibus, & controuersijs, istaque Anatome non mediocriter sint versati; neque *præcipuos* esse *Medicos*, neque *meliores*. In vniuersum verò de plurimis Recentioribus siue Philosophis, siue Medicis, Viris magnam partem Exercitatissimis, atque Cautissimis iam in Opusc. p. 187. tanquam de hominibus aut inertibus, aut imprudentibus, ita senserat. *Si plurimi Authores conuenerunt in facto cum Antagonista nostro id non processit, quià obseruatio sit infallibilis, sed quià laborem timentes, aut tempus non habentes aliena vestigia sine examine sunt secuti*. Quod si hæc non sufficerent ad ostendendum, quantam *Vigiliarum* Scriptor præ se tulerit Recentiorum contemptionem; multos adhuc, quos hìc non adduximus, eius locos Num. VII. collegit Horatius, ex quibus perspicuum est, eundem *Vigiliarum* Scriptorem nullam Recentiorum Præstantissimis reuerentiam habuisse, imò neque suis Antiquis. Nam & istos quoque contempsit homo confidentissimus. Non solùm enim & Cælium Aurelianum, & Galenum satis libere redarguisse, & condemnasse; aut Veterum Experientissimos *non bonos*, sed *litigiosos medicos* vocauisse, ex prænotato, & IX. etiam Horatij Numero constare potest; verùm quoque ex p. 429. *Vigil.*, vbi tot Viros inter Veteres Famigeratissimos, qui lunares aspectus à Medicis esse attendendos, docuerunt, non dico, non est sectatus (nam scio multos alios contrarium censere) sed magna cum libertate est insectatus ita, vt dixerit. *Istæ & aliæ similes lunares*

fabulæ sunt spernendæ, & irridendæ potiùs, quàm obseruandæ. Quæ cùm ità sint; nihil ego ampliùs miror, quòd Recentiores contempserit, & tantò minùs, quòd Studiosos, atque Scriptores adhuc iuuenes nihili propemodùm fecerit. Et hoc enim non est vllo modo prætermittendum, quòd, tametsi Studiosæ Iuuentutis tantam curam, & dilectionem p. 197. 280. 383. 400. & alibi passim ostentat; reuerà tamen perspicuis, & expressis verbis p. 384. solito suo contemptu demonstrat, eandem Studiosam Iuuentutem se flocci facere. Inquit enim. *Nulla diligentia iuuenilis est sufficiens, vt quæ raptim & concitato sermone enunciantur, rectè intelligantur*; Alibi, nempe p. 222. *Multi Scriptores sunt Iuuenes, quique funditus rem hanc non tetigerunt*; & (ne his leuioribus diutiùs immorer) p. demum 541. *Quis nostris diebus potest negare, titulos eminentissimos etiam iunioribus, & impubibus attribui, quando vel solum opusculum, aut leuissimam obseruatiunculam typis mandarunt?* Quasi verò hac nostra ætate inter tot alios Præstantissimos Iuuenes non vidissemus Graafium, atque Stenonium, qui vix adolescentes talia in suis *opusculis* euulgarunt, qualia tot ante ipsos, Senes nunquam *intellexerant*, nunquam *tetigerant*, & qualia nulla ætas *titulis* quàmlibet *eminentissimis* dignè poterit compensare: quæ omnia prætermittere hìc nolui, partim quia ego ita censeo, A nobis, qui adolescentibus ætate præstamus, esse eosdem collatis laudibus ad virtutem animandos; non ætatis exprobratione deterrendos; partim vt præsentem Studiosissimam Iuuentutem ad talia in Reipublicæ commodum elucubranda, atque euulganda commoueam, quæ Seni isti dicacissimo silentium, & pudorem magìs incutiant, quàm si quæ Graafius, aut Stenonius Deusingio, & nescio cui alij, qui iuuentutem illis suam exprobrauerant, amarissimè responsarentur. Hìc aliquis & Iuuenes, & Antiquos, & Recentiores ab isto homine contemptos, & nihili factos conspiciens, à me petet, An is saltèm suis Ciuibus, suis Collegis, suæ Vniuersitati, suæ Patriæ honorem aliquem habuerit? Cui ipse nihil aliud respondebo, nisi quòd in *Vigiliar.* libro sequentia obseruantur. p. 413. occasione quorundam *Responsionis Posth.* discursuum; vt sibi ipse fingit; non concludentium; *Ne mireris*, inquit, *lector, quia in schola Antagonistæ hæc erat consueta arguendi forma*: quibus verbis malè arguendi notam toti Præceptoris nostri, Scholæ tentat inurere, quæ Schola licet per nos, aliosque Exteros in plures alias Ciuitates diducta sit; Bononiæ tamen, ceu in propria sede, plurimùm viguit, & adhuc viget.

get. P. autem 363. de Famigeratiſſimis,& Feliciſſimis Medicis ſuis Ciuibus, atque Collegis hæc effutiuit. *Veteres fuerunt Modernis feliciores in praxi præſertim loquendo de quibuſdam modernis commorantibus in quadam ciuitate Europæ,in qua ob nimiam applicationem continuò adhibitam in ſubtiliſsima, & microſcopica anatome praxis huiuſmodi infirmitatem contraxit, vt ferè extincta ſit*; à quibus multùm non abludunt iſta, quæ legimus p. 356. *Ob maximam attentionem rebus anatomicis minimis vix remanſit cognitio generica formularum remediorum, & exceptis quibuſdam pulueribus, cætera omnia irrita, & ſuperflua in officinis aſſeruantur, & proſcribuntur cum continua pharmacopolarum quærimonia*. Quod verò ad ipſam Bononienſem Vniuerſitatem ſpectat;iam noſti; Antonine, quanta illam fama, & gloria locupletatam, & exornatam inter cæteros reliquerit Gaſpar Taliacotius, qui in eadem & publicè docuit, & ſuam illam ſingularem, atque admirabilem curtorum Chirurgiam exercuit; quocirca ſi quos alios; certè Lectores Bononienſes ſummoperè decet non ſolùm eiuſdem Viri celeberrima, & viuaciſſima adhuc fama lætari; verùm quoque coniectas in eundem, eiuſque Chirurgiam obiectiones quaſi iacta in propriam Vniuerſitatem conuicia diligenter refellere. *Vigiliarum* autem Scriptor tantùm abeſt, vt coniectas in Taliacotij Chirurgiam obiectiones repulerit, vt potiùs ad eandem Chirurgiam improbandam, relegandam, deteſtandam, conſulta opera omnia quæcunque in ipſam fuerunt iacta conuicia diligentiſſimè collegerit, & ob omnium oculos poſuerit. P. enim 197. & ſeq. non ſolùm ait, prædictam Chirurgiam Taliacotij inuentum non fuiſſe, ſed quando etiam fuerit; *nullius eſſe, vel modicæ vtilitatis, eſſe fabuloſam, non habuiſſe laudabilem finem, à multis denique Doctoribus fuiſſe condemnatam, & exilio dignam exiſtimatam*. Vt finem faciam. Conſuetudo adhuc ſupereſt in Bononienſi Vniuerſitate, ſi non laudibus extollenda; certè pro Antiquitatis obſequio diſſimulanda; omnino verò pro tantæ Vniuerſitatis reuerentia publicè non ſubſannanda. De hac tamen vide qua libertate verba faciat *Vigiliar.* Scriptor p. 429. *Semper*, ait, *irriſimus vanam illam expenſam, quam aliquæ Vniuerſitates efficiunt pro conficiendo Kalendario, vulgò Tacuino, indicante dies bonos, & malos pro facienda medicina, & pleno ridiculis monitis,quæ omnia etiam agyrtæ ſubſannant.* Sed inquies. Hos ſaltem ſuorum Collegarum, & ſuæ Vniuerſitatis contemptus ita velauit, vt quamuis optimè intelligatur, in quos ſingula conijciantur; expreſſum tamen aut Vniuerſitatis, aut

Patriæ, aut Ciuium nomen nusquam inter hos contemptus occurrat. Non diffiteor, Antonine, hoc vnicè eundem reuerenter fecisse. Sed multum vereor, ne huius ipsius reuerentiæ ita, vt est, exiguæ iam istum hominem pœnituerit sic, vt fortasse suo quemque nomine sit appellaturus, si quinta vice *calamum strinxerit*. Certior enim factus sum, transmisisse eundem ad nonnullos suum hunc *Vigiliarum* librum additis in margine & singulorum, qui in ipso subindicantur nominibus, & similium, quæ meliùs latuissent, rerum explicationibus; quasi ipsi non satis esset suos Ciues, suos Collegas, suam Vniuersitatem contempsisse; verùm in huius contemptus certissima diuulgatione præcipuam suæ gloriæ partem reposuisset. Sed de Morum vitijs iam satis superque disseruimus.

VII. Post grauiorum errorum examen sequitur, vt leuiores quoque illos, quos Horatius in sua Epistola prætermisit, hìc breuissimè consideremus. Quam considerationem hoc tantùm fine instituimus, ne scilicet *Vigiliarum* Scriptor, quemadmodùm in Opusculis p. 58. in re simili, ita hìc etiam illos errores intactos prorsum conspiciens, statim existimet, in hac saltèm parte se esse victorem, atque vt aliàs in Vigilijs; *triumphum iam canere se posse*, dicat, *& enumerare spolia inimicis erepta*. Primùm inter huiusmodi errores Horatius enumerauit Nugarum, aut Obseruationum nullius momenti factam inter seria mentionem. Cùm autem Præceptori nostro leues istiusmodi obseruationes, etiam generaliter loquendo, in varijs *Vigiliarum* locis obijciantur; haud ego istos singulos, hìc adductos, refellam, sed cunctis potiùs ita in vniuersum responsum dabo. Non omnia maxima esse possunt, vbi omnia sunt describenda; Naturalis autem Historiæ, quam profectò non minùs, quàm medendi Scientiam Vir Præstantissimus, sicut Philosophus erat, & Medicus, & profitebatur, & profiteri debebat, Naturalis, inquam, Historiæ absolutissimum complementum vt omnia describantur, exposcit. Neque porrò aliquis bonus iudex esse potest, quæ res in Naturali Historia ita leuis sit, vt nullius vnquam sit futura vtilitatis. Sed nihil attinet in his morari, quæ alij ante me probauerunt. Hæc breuissimè de obseruationibus nullius momenti iudicatis. Quod verò spectat ad rerum nullius ponderis iniectam inter grauiora mentionem; talia quidem; vt mihi videtur; non nisi in *Posthumis* reprehenduntur, suntque hæc duo potissimùm. Pagina 543. » *Prosequitur vaticinium ex Sandrone Garbuglio dicens*. » Hoc est

vati-

„ vaticinium, &c. „ *In hac re verè erubescimus differere, omnes quisquilias colligere non placet*. Pag. autem 138. *Poterat Antagonista omittere dispensationem Thesium negatam à Collegio Medico; Doctoratus actum irritum declaratum ob mortem Archidiaconi; intermissum Epistolarum commercium cum Borello; euulgatas Conclusiones, & propugnatas in Bibliotheca Cœnobij PP. Seruorum Mariæ 13. Ianuarij 1689., & huiusmodi quisquilias, & istarum loco,* „ aut scribere legenda, aut facere scribenda „, *vt monet Plinius, &c.* Inprimis autem hìc ego repetam quod modò innuebam; talia non nisi in illis *Operibus* reprehendi, quæ non tantùm posthuma sunt; sed multas ab alijs; vt *Vigiliarum* Scriptor fatetur; acceperunt additiones; Deinde; quod ad primum attinet, quòd nempe in *Resp. ad Differt. de Rec. Med. Stud.* occurrit, vbi *Lunaris* verba cum Differtationis verbis comparantur; profectò nunquam *Lunaris* verba adducta essent, nisi hoc ipsum fuissent, quod Vigiliarum Scriptor reprehendit, idest ineptiæ, & quisquiliæ meræ, ita vt è re istius hominis magis fuisset hanc futilem obiectionem omittere, quàm mihi occasionem dare hìc repetendi, eadem *Differtationis*, & *Lunaris* Authorem dixisse. Quæ verò secundo loco appellat *quisquilias*, & *omitti potuisse*, pronunciat; hæc sanè talia mihi nequaquam videntur. Nam de istis *Conclusionibus* meminisse oportebat, vt cætera quæ consecuta sunt, quæque ipsa, eiusque amici apud populum iactabant, quomodò reuerà se habuerint, ad omnium notitiam veniret. Admonere etiam omnes oportuit, qui Borelli obiectiones lecturi erant, & de huius commoto animo, & de ipsa comtionis causa. Priora autem illa de irrita Laurea, & de Thesium negata dispensatione; & ipsa; si cui Viro contigerint, libero ab affectibus animo consideremus; vtique ad aliorum solamen nequaquam erant prætermittenda. His ita perspectis, consequens est, vt videamus, an ipse *Vigiliarum* Scriptor, qui tam rigidum se præstitit Aliorum censorem, à nullius momenti obseruationibus, & narrationibus se abstinuerit; Atque vt à secundis initium capiamus; illud primùm peti ab eodem potest; Cur ipse, qui Alterum modò reprehendebat, quòd in propriæ Vitæ historia negatam sibi à Collegio Thesium dispensationem non omiserit; in suarum posteà *Vigiliar.* p. 511. vbi de Theriaca scribit; Lectori suo narrare voluerit, quòd *cùm Antagonista Collegio aggregatus fuit, cum dispensatione à Statuto* eidem *aggregatus fuit*? item cur in ipsa prima Apologiæ suæ pagina hoc

dignum

dignum Lectoris notitia crediderit, quòd *Posthuma Responsio in Communi Corticellæ Comitatus Bononiæ inter rusticas gentes digesta fuit*? Video quidem, quo fine vtrunque attulit; Alterum nempe ad *Responsionem* perstringendam; Alterum ad ipsum Authorem. Sed vtinam me, meaque Scripta hac, aut simili alia ratione quis posset perstringere, & deridere. Quid enim Scripto alicui gloriosius potest contingere, quam in eo Recessu conceptum esse, quem Authoris sui Virtus in celebratissimum à magnis Principibus, & ab vndique concurrentibus Cl. Exteris Musæum commutauerit? Quid verò ipsi Authori magnificentius, quàm à Sapientissimo, atque Amplissimo Collegio (vellent nollent & antiqua iura, & præsentes homines) vltrò rogari, vt id esse velit, quod vt sint alij omnes (atque adeò ipse, qui hæc obiectat *Vigiliar.* Scriptor) & precibus, & constituta pecunia diutiùs, & sæpè incassùm laborant? Verùm siue hæc ornent, atque commendent, siue perstringant; illud certum est, ab isto homine nunquam fuisse memoranda, qui similes Aliorum Narrationes *quisquilias* vocauerat. Illud verò eidem multò minùs memorandum fuerat, quòd ipse ob cadaueris obtenti conditionem *suam publicam anatomiam cum difficultate, & protectione sustinuerit*; Quid enim de hoc ad Lectorem? & præcipuè si hoc consideremus prout relatum in *Syllabo Rerum Memorabilium* pag. 650.? Opportunè autem incidi in huius *Syllabi* mentionem. Etsi enim confusus, & in necessarijs mancus est; in nugis tamen, & manifestis quisquilijs ita abundat, vt absque eo quòd alias hominis nugas hìc referam; sufficiat Lectorem meum rogare, vt aliquot illius *Syllabi* paginas percurrat. Ex his enim, quæ vel inter res memorabiles relata inueniet, statim iudicare poterit, an hunc hominem deceret tam rigidum in hac parte censorem agere. Etenim sunt meræ, & puræ quisquiliæ, quòd ipse p.459. pro solito contemnendi, irridendique cacoethe scripserit. *Antagonista noster meliùs determinauisset commentari Ardoynum, quam impugnare nostram Dissertationem*, & p. 408. *Idem ad nouitates ferebatur, vt canis in Ægypto ad bibendum*; pag. autem 595. *Arcus vasorum in renibus ita prosunt pro praxi, sicut arcus cœlestis*, aut demum p.634. *Microscopio non emimus sericum rasum, aut matulas, cantharos, &c.*, & mille talia, quorum tamen omnium, ceu Dictorum, & Sententiarum Memorabilium, in eo *Syllabo* admonemur. Sed quoniam Lector in II. Numero Epistolæ adnexæ, nec non in sequenti istius plura alia omnino prætermittenda,

tenda,

tenda, in prædicto tamen *Syllabo* inculcata, singulatim lecturus est; nulla alia ex eodem *Syllabo* hìc adducemus. Et quanquam ad relatas in *Vigilijs* animaduersiones, atque obseruationes iam transimus, examinaturi, quanti sint ponderis, quantæque sint raritatis, atque vtilitatis; nihilominùs afferre ex eodem *Syllabo* mittemus memorabilem, & raram istam animaduersionem, ***Dolor colicus infallibiliter non distinguitur à nephritico***, necnon duas hasce alias obseruationes, ***Oculi omnium hominum non sunt æquales***, & ***Oculis omnium hominum conspicilla indifferenter non accomodantur***; maximè cùm de his; vt de illa quoque non minùs rara obseruatione, quòd scilicet obiectum per microscopia duarum, vel trium lentium inuertatur; nonnulla superiùs diximus. Illam pariter prætermittemus, quæ refertur in Horatij Epistola Num. II. de sensu videlicet isto frequentissimo, & omnibus noto halitus, seu vaporis ad caput ascendentis, quem tamen *Vigiliarum* Scriptor in se, & in alijs à se obseruatum nobiscum voluit communicare p. 331. Etsi verò tot, parui, imò nullius momenti; quatenus cuicumque notissimæ sunt; obseruationes præterimus; plurimæ tamen adhuc supersunt: quarum aliquot tantummodò hìc adducemus. Et ex Præfatione quidem has tantùm propono, quæ occurrunt p. xxxv. *Confirmauimus in musculorum elixatione hoc euenire, vt longitudo, & latitudo crudi musculi in elixatione eiusdem notabiliter minuantur — ouum gallinæ coctum licèt fœcundum, rudimenta pulli non ostendit, neque hypothesin oui illustrat, neque theorias, quas referunt Malebranche, Peyerus, Swamerdamius, Raius & alij. Coximus similiter omentum, & istius structuram elixatione quæsiuimus, & hæc si fuerit pinguedine destituta cognouimus hoc modo frustra indagari marsupia pinguedinem asseruantia, hæc enim obseruatio in crudo omento facienda est, & si fuerit coctum oportet esse pingue*. Suntne istæ obseruationes ita magnæ, ita vtiles, ita raræ, vt talem hominem, & erga Alios tam fastidiosum, satis deceant? Ex libro autem ipso legi oppidò merentur p. 60. & 61. tot raræ, & ingeniosæ adeò obseruationes circa Vasa Adiposa; vt ab eodem supponitur; institutas; sed oportet prælegisse, quæ Horatius Num. V. in easdem paginas adnotauit. Nihil denique rarius esse potest singulari ista obseruatione, cuius ille in suarum *Vigiliar.* p. 57. depromptam ex proprio penu confirmationem nobiscum voluit communicare. *Nos*, inquit, *multis vicibus in* ventriculo *turdi iuniperinis baccis nutriti deteximus eundem* iuniperinarum baccarum

colo.

colorem, saporem, & odorem. Post quam adeò communem, adeò tritam obseruationem; proprijs tamen, & peculiaribus experientijs à *Vigiliar.* Scriptore tam singulariter confirmatam, superfluum profectò esset quasdam alias animaduersiones nullius momenti hìc referre, in quibus tamen multùm ille strepit. atque exultat, exempli causa post illa, quæ iactauerat p. 511. ista adeò obuia, quæ subdit p. 512. de Hedicroi trochiscis, aut pag. 50. & 51. longas illas, & anxias animaduersiones circa Ventriculum, Intestina, Vterum, Fistulas, &c. quæ denique sunt meræ lites & controuersiæ de nomine. Illud tamen non est omnino prætermittendum; p. 530. dissimulare hunc hominem non potuisse minimum quendam errorem, qui in *Posth. Responsione*, vnum capitulum Aristotelis pro alio citando, elapsus est; quasi verò aut ista animaduersio multùm vtilis, & grauis esset; aut eiusmodi errores ex facili non possent in Operibus, præsertim posthumis, elabi; cùm in isto suo *Vigilar.* libro & p. 625. vbi in adducendo Bacono liber quartus pro quinto citatur, & in Præfatione ipsa, p. x. vbi in Cœsalpini citatione necessaria libri quinti indicatio omittitur, multisque alijs fortasse locis, eiusmodi errores, & maiore quidem; vt puto; vtilitate notari possint ab illis, qui, vt ipse, leuioribus istis, & minoris momenti animaduersionibus delectantur.

VIII. Proximum est, vt de obiectata Præceptori nostro exigua, & curta Eruditionis notitia quàmbreuissimè videamus. Et profectò cùm illud, quod obijcitur in *Vigiliar.* p. 331., *Ex his cognoscitur quàm curta fuerit lectio Antagonistæ*, nec non illud, quod iactatur p. 28., *Ante Regemorterum Riolanus, Saltsmannus in hepate obseruauerunt concretiones, &c. & communiter obseruatur in cadaueribus id, quod Antagonista velut rarum nobis proponit ex Regemortero*; cùm, inquam duo ista ab Horatio Num. VI. & VIII. satìs superque reiecta sint, & præsertim primum, quo concidente, multas alias similes obiectiones concidere, necesse est; vnus tantummodò, vel alter locus nobis superest, quem perpendamus. Primus sit ille, in quo animaduersio quædam examinatur, quam in relatam ad calcem *Dissertationis de Rec. Med. Stud.*; iuxta Luciani fidem, Sostrati historiam, in sua *Posth. Resp.* p. 377. & seq. Præceptor noster attulerat. Itaque in *Vigiliar.* p. 537. & seq. hæc scribuntur. *Si Antagonista in historica lectione versatus fuisset, difficultatem propositam non tetigisset. & Si viueret Antagonista consuleremus vt vteretur microscopijs, & bene,*

bene, & non esset modicum, vtque relinquerent alijs censuras historicas. Cur ista omnia? Quia Vir Doctissimus Præceptor noster secundùm *antiquiores* Luciano Historicos Strabonem, & Plinium (qui quantùm ad illam, quæ in *Dissertatione* potissimùm attenditur, præfatæ historiæ partem, à Luciano omnino discrepant) prudenter censuerat, id, quod, additum est à Luciano, fabulosum esse, aut saltèm suspectæ fidei. Sed quibus rationibus hęc in *Vigilijs* sic discutiuntur, vt tales in Cl. Virum reprehensiones adijci potuerint? Vna ex ijs rationibus est, quòd *additamentum à Luciano descriptum, & à Strabone, & Plinio omissum, non importat Lucianum fuisse falsum; inter Historicos enim non datur omnimodus consensus, & qui aliquid prætereunt non dicuntur negare quicquid alter refert*; quasi verò tota Strabonis, & Plinij à Luciano discrepantia in simplici omissione consisteret; cùm; vt videre omnes poterunt; in facto consistat aliter omnino, præcipuè iuxta Plinium, narrato; Ratio altera est. *Quo fundamento arguitur Lucianus de calcis additamento, cùm æquè possit argui Strabo, & Plinius de defectu narrationis*? ac si in *Responsione* clarè dictum non fuisset, duos istos esse Historicos Luciano vetustiores; atque ideò fide digniores; Sed animaduerto, hæc ab homine ex parte negari. Inquit enim. *Hæc eruditio non est vera de omnibus; tantùm verificatur de Strabone, qui floruit Romæ temporibus Augusti, & Tiberij; Plinius tempore Vespasiani; Lucianus autem, quo „ tempore vixerit, non potest certò affirmari. Suidas ait*, „ fertur „ sub Traiano Cæsare, & ante eum fuisse „: *ly fertur tollit certitudinem; Guilielmus Caue fatetur Lucianum floruisse circa Annum Christi 176. citàt Eunapium in Proœmio, quod nobis non patet.* Mittam ego, habere me Authorem, qui in græco Suidæ exemplari, vbi de Luciano, non legit cum Vossio, quem *Vigiliarum* Scriptor sequitur; Fertur sub Traiano Cæsare, & *ante eum* fuisse; sed legit, Dicitur vixisse temporibus Traiani Cæsaris, *& deinceps*; quarum lectionum vtra melior sit; alij inspecto Suida diiudicent. Hoc autem dicere non omittam. Si, quia certò affirmari non potest, quo tempore Lucianus vixerit; idcircò verum non esset, fuisse Plinium Luciano antiquiorem; neque verum esset; quod noster tamen concedit; Strabonem Luciano antiquiorem fuisse. Quòd si ista ambigua Suidæ relatio non officit, quin secundum istud concedat; cur eadem facit, vt illud primum non esse verum, contendat? Deinde hoc saltèm confiteatur, necesse est, malè se dixisse illam eruditionis partem *non esse*

veram; etenim non bene, quia incertam esse, supponitur; eandem non veram esse, concluditur; non enim quidquid est incertum, idem pariter falsum est. Denique; nonne semper contra Lucianum duo sunt Historici? consequenter non *æquè*; vt ipse dicebat; de Plinij, & Strabonis, ac de vnius Luciani fide potest dubitari. Illam quoque aduersùs Cl. Virum rationem adduxit; *Probabiliùs esse exactam fuisse relationem Luciani, quàm aliorum, quia Strabo principaliter Geographiæ studuit, Plinius, ob multitudinem rerum, multa omisit; Lucianus autem ex professo agit de hac re in libro Quomodo Historia scribenda sit, vbi non debet supponi falsitas, vel notabilis omissio*. Sed Lucianum *ex professo egisse de hac re* in libro citato, omnino falsum est. Non enim ibidem hanc historiam scribendam susceperat, neque aliam vllam; sed cùm ageret de Historia in vniuersum rectè scribenda, vt historicos ad libertatem in hac seruandam animaret; sicuti ad vim hortationis suæ exprimendam paritatibus quibuscunque vti poterat, poeticis etiam fabulis, modò ad rem facerent, non exclusis; ita illo qualicunque, & sibi vtcunque perspecto exemplo, non quia verissimum censebat; sed quia mentem suam commodissimè exprimebat, vsus est. Quæ cùm ita sint; non video sanè, cur Præceptoris nostri eruditionem historicam ob allatam ab isto animaduersionem, adeò spernere, & notare *Vigiliarum* Scriptor debuerit. Nobis quidem notanda sunt quæ hìc dicuntur de Plinio, nempe quòd *ob multitudinem rerum, multa omiserit*, nec non eundem Plinium *posse accusari iuxta communem opinionem etiam inter Recentiores*, non solùm quia nihil hæc ad rem faciunt (non primum, quia non est omissio in Plinio, sed alia istius facti relatio; non secundum, quia Plinius non in politica; sed in naturali potissimùm historia solet accusari) sed etiam quia longè aliter; prout de more; idem *Vigiliar.* Scriptor de Plinio sensit paucissimis interiectis paginis, scilicet p. 546. ad quem locum examinandum transimus. Cùm enim Præceptor noster in sua *Posth. Resp.* p. 381., dum Anatomes historiam ab ipsis primordijs repetebat, dixisset, Hippocratis tempore, atque Democriti multùm Anatomen auctam esse; *Vigiliarum* Scriptor, quod quidem attinet ad Hippocratem, ex huius libris euincere conatus est, tantam sanè in eodem Anatomes cognitionem non fuisse; minimè aduertens, Doctissimum Virum Laurentium ex eisdem libris conclusisse, *Diuina ergo sunt Hippocratis, sed obscurissima de re Anatomica scripta*; quod verò spectat

ad

ad Democritum, hoc potissimùm dicit (nam cætera multò minùs vrgent) *Si credimus Plinio, Democritus non fuit insignis anatomicus*: Quare? Quia, inquit, *ex eodem Plinio habetur, medicinam, & artem magicam eadem ætate floruisse; illam Hippocratem illustrauisse; hanc Democritum, legatur lib. 30. cap. 1. ex his patere arbitramur Hippocratem, & Democritum non fuisse tam graues Anatomicos, vt scribit Antagonista*. Vbi nunc illud, quòd *Plinius ob multitudinem rerum multa omiserit*? vbi quòd *iuxta communem opinionem idem Plinius accusetur*? Quæ potissimùm dico; quia rem hanc ex Plinio non subindicari, aut indicari; sed *patere*, inquit, *arbitramur*. At saltèm Plinius expresse diceret, Democritum insignem Anatomicum non fuisse. Ait enim. *Si credimus Plinio, Democritus non fuit insignis anatomicus*. At Plinius tantùm abest, vt id dicat; vt eo in loco de Anatome ne verbulum quidem habeat. Illud denique hoc in loco non est omittendum, Præceptorem nostrum, dum inquit, tempore Hippocratis, atque Democriti multùm Anatomen auctam esse, hoc, respectu habito ad rudia Anatomes ipsius primordia dixisse; nunquam autem scripsisse, duos hosce Viros fuisse *adeò graues*, aut *peritissimos anatomicos*; vt noster, de more, non bene refert. Nunc viceuersà de istius Censoris eruditione disquiramus, qui in suis Scriptis toties asserere non dubitauit, hunc, aut illum Eruditissimum Scriptorem *in lectione Veterum, & Recentiorum versatum non esse*. Et cùm ex sequentis Epistolæ Num. III. manifestum sit, eundem verè eruditum esse non posse; quoniam multa, quæ pro suis passim venditat, in obuijs cuilibet libris iamdudum legi, aut ipse ignorat, aut alios ignorare posse, existimat; reliquum est, vt disquiramus, vnde igitur iste homo suæ adeò eruditioni confiderit, vt alienam ita contemnere potuerit. An fortasse credidit Incomparabilis Eruditi nomen promeruisse, dum vulgatissima illa de Duellis ex Alciato adducere valuit p. 481. & 482. aut alia similia ante omnium oculos, & pedes posita: quæ præterquamquòd afferre nunquam debebat, cùm nihil probent; tum ipsum summoperè dedecet talia adduxisse, qui p. 421. nimis grauiter, & seuerè dixerat, *Antagonistam contriuisse tempus in Vasarij lectione, &c.* An etiam confidit eruditum se comprobare, dum tot Medicorum, aliorumque Scriptorum textus in suis Scriptis passim adducit? Sed præterquamquòd hi multi adeò non sunt, si animaduertamus, plures ex istis, quos nuper in *Vigilijs* citauit, eosdem esse, quos

anteà in Opusculis, & præsertim in Secunda *Dissertatione* protulerat (quod etiam de ipsis argumentis, atque rationibus dictum volo) illud certum est, quòd vbi multorum textuum adductio probare eruditionem deberet; necessarium saltèm foret, vt textus adducti non solùm bene intellecti, & opportunè allati; verùm etiam ex debitis tracti essent locis: quæ duæ conditiones num competant multis; qui à nostro adducuntur, textibus, poterunt Lectores ex Horatij Epistola iudicare; In huius enim Num. VIII. probatum inuenient, tot Galeni textus pro Empirica aduersùs Rationalem Medicinam in *Vigilijs* productos, nequaquam ex debitis Galeni libris adductos esse, in Num. autem II. Cœsalpinum, & Aristotelem, in III. verò rursus Aristotelem neque bene intellectos, neque ad rem adductos in *Vigilijs* fuisse: in Num. autem VII. idem inuenient de D. Augustino in Opusculis citato, & ne ego nil aliud quàm Horatij Epistolam transcribere hìc videar; inuenient præter hos locos, in *Vigilijs* p. 544. (vbi ad Præceptoris nostri eruditionem perstringendam Belli Troiani mentio inducitur) eiusdem Augustini verba ex *Confession.* lib. 1. c. 13. malè adeò intellecta, & intempestiuè adeò allata, vt primùm quod Augustinus de inutilitate potissimùm dicit, de falsitate noster intelligat, & ad hanc probandam adducat, deinde quæ ille de aduentu Æneæ in Chartaginem sensit, ipse de toto *Bello* Troiano ex æquo *sensisse*, iudicet, nihil fortasse interesse arbitratus inter Æneidem, & Iliadem. Ad hæc, si verum est, illos textum aliquem non intelligere, qui dum tueri opinionem suam volunt, textum potiùs contra se facientem adducunt; non bene profectò à *Vigiliarum* Scriptore vis, & acumen illius textus Galenici intellectum fuerit, quem p. 224. adducit. Dum enim contra Præceptorem nostrum sustinere vult, Empiricos iuxta mentem Galeni Rationalibus præstare; refert, quòd iste in l. 1. *de Alimentis iter experimentale elegit* (siue potiùs *ab experientia auspicari* ideò maluit) *quia ratione res indicare non omnibus itidem est promptum*; quibus verbis neque aliquid excogitari potest, quod magis conueniat cum Præceptoris nostri Sententia, qui nempe in suæ *Resp.* p. 299. ita inquit contra Empiricos, Per suelare le cose della Natura, *è necessaria vna gran fatica, e giudicio, concesso à pochi*; neque in Rationalium exercitationum contemptores, atque adeò in ipsos etiam Empiricos aliquid dici potest pressius simul, & amarius. Ita enim ait Galenus. *At cùm ratione indicare non*

omni-

omnibus itidem sit promptum (nam & natura sagaces esse oportet, & à puero ingenium in mathematicis disciplinis excoluisse) satiùs est ab experientia auspicari , &c. Verùm quid ego singularibus his locis immoror ad euincendum , sæpè numerò *Vigiliarum* Scriptorem illos, quos adduxit, textus non bene intellexisse; cùm ipsius Authoris, quem ex professo examinauit adducta verba , tam frequenter malè intellexerit, vt expresè Horatius, quod supra etiam indicabamus, affirmauerit: plurimarum, quas ipse ex *Vigilijs* considerat, oppositionum *magnam partem aut malè relatis, aut malè intellectis Viri verbis innixā esse.* Sed quando etiam eos omnes, quos adduxit, suorum Authorum textus egregiè , atque optimè intellexisset, & ex debitis quosque locis citasset; num proinde Eruditi nomen promeruisset? Nimis sanè in propatulo esset tam nobile , & præclarum nomen , si quicunque authoritatum farraginem congessisset ; deberet statim eruditus vocari ; & nemo hac ratione Eruditus vocari non posset , nam *authoritates* ; vt vel ipse *Vigiliarum* Scriptor fatetur p. 496. *ab omnibus comparari possunt* . Quinimmo ista ipsa authoritatum larga congestio ineruditum testatur ; Qui enim verè eruditus est , non potest illam , vt vitium , non fugere ; cùm sciat , optimum quenque Scriptorem (dummodò materia aliter omnino non postulet) in Grauissimorum etiam Authorum raris oppidò, & singularibus textibus adducendis perparcum esse , & restrictum . Quòd si ille igitur ineruditus videri potest , qui rarissimarum etiam authoritatum copiam proferat æquo largiorem ; quid de homine sentiendum est, qui vulgatissimos , tritissimosque versiculos non solùm in suo libro adducere affectauerit ; verùm etiam (quod à nemine antehac factum credo) in ipso *Rerum Memorabilium Syllabo* diligentissimè recensuerit, & quasi in eximiæ , & incomparabilis eruditionis signum ostentauerit ? Noster enim in proprio *Syllabo*, præter illos , quos Lector videbit in sequenti Epistola ab Horatio collectos, hos etiam versiculos solicitè collocauit . *Res humanas ordine nullo fortuna regit, spargitque manu munera cæca, peiora fouens* ; & illud ex Lyrico *Desipere in loco dulce est* , & hoc ex Martiale *Vanus circa palatia fumus*, & illa ex Iuuenale *Quidam sudant, si dixeris æstuo , alij accipiunt endromidem , si de frigore conquerarīs* : imò hæc ipsa , quibus nihil est vulgatius , nihil tritius, *Ornari res ipsa negat , contenta doceri . Sed qualia verba Dices talia redduntur tibi dicta vicissim . Pictoribus quidlibet audendi fuit semper æqua potestas, &c.* Et hæc satis de rara hominis eruditione .

IX. Re-

IX. Reliquum eſt, vt de ipſa lingua, ſiue elocutione nonnulla ſubjiciam: ad quam cenſuram Antonine, fateor, me prope inuitum accedere. Cùm enim ſemper exiſtimauerim, diſquiſitiones huius generis grammaticis, atque rethoribus eſſe relinquendas, & proinde non ſemel improbauerim illorum Medicorum exempla, qui vel hac ipſa noſtra ætate ſolæciſmos, & barbariſmos alter alterius collegerunt, & euulgarunt; tum in hac epiſtola, in qua conſcribenda, quali ſim vſus elocutione,& quot, quantaque elabi potuerint, mihi ipſe conſcius ſum; nihil me minùs decere arbitror, quàm elocutionis cenſuram tractare; Etenim dum in dies magis timerem, ne Horatij Epiſtolam penes me eſſe, deprehenderes, atque ideò eius editionem interciperes, ita in mea hac ſcribenda properaui, vt niſi materiam apprimè, & copiosè iam tenuiſſem, ne tertiam quidem partem eorum, quæ ſcripſi, intrà exiguum adeò tempus congerere potuiſſem tantùm abeſt, vt elegantiæ, aut alius partis elocutionis curam aliquam habere potuerim. Libenter itaque poſtremam hanc epiſtolæ meæ particulam omiſiſſem; dummodò circa Præceptoris noſtri elocutionem *Vigiliarum* Scriptor id præſtitiſſet, quod in Præfat. p. XLIII. ſpoponderat, dum inquit. *Qualis ſit phraſis Antagoniſtæ omnes norunt, & ideò nolumus de eadem iudicare*; ſtetiſſem enim communi Eruditorum iudicio, qui animaduertentes, vt nunquam Vir Cl. eleganter ſcribendi laudem affectarit, & quàm noua, quàm explicatu difficilia primus deſcribere debuerit; ſanè eius phraſim, qualiſcunque eſt, potiùs commendant, quàm improbant. Sed non potuit ipſe ſe cohibere, quin p. 463. de *Poſth. Reſp.* verba faciens, ita ſcriberet: *ſaltem colores & pigmenta intuentium oculos recrearent, ſed hæc etiam deſiderantur, vt conditio ſermonis arguit*. p. autem 512. *omittentes latini ſermonis defe-* „ *ctum*, & p. 477. *cognoſceretur nos non poſſe argui* „ vel de negli- „ gentia in legendis libris, vel de immemoria, „ *quod nomen vltimum neque habetur apud Dufreſne*. (ad quæ non eſt opus reſpondere, cùm Vir Cl. nunquam; vti ſæpiùs dictum eſt; *Poſthumam Reſponſionem* latinè ſcripſerit) Et non hæc tantùm; ſed aliorum verba idèm Cenſor in ſuis *Vigilijs* emendare ipſe auſus eſt. Dum enim in Præfat. p. XXXIV. hæc verba Patris Reſtæ, nominato authore, produxit, *Legumina, vt hordeum, riſum, & ſimilia*; ita eadem pædagogicè emendauit. *Legumina, vt hordeum, riſum* „ (meliùs oriza „) *& ſimilia*, cui loco quàm ſimillimè ſe geſſit p. 77. dum inquit, *Antagoniſta obſeruans papillas fungoſas eſſe*

„ *pan-*

„ *paucas* „ non numero exiguas „ (*vt idem malè scribit*) *&c.*, quasi verò ipse in suis Scriptis, & speciatim in isto, in quo hæc facit, *Vigiliar.* libro ita omnia exacta, & emendata esse, crederet, vt aliorum correctionibus posset vacare. Quid, quòd in Præfat. p. XLIII. tantum sibi in eloquentiæ cognitione assumit, vt audeat de varijs elocutionis generibus, & disputare, & sententiam ferre, hoc probato, illo reiecto? qua occasione se *elatam, magnificam, & excelsam scribendi formam de industria* in suis scriptis *Missam fecisse*, Lectoribus narrat (tanquam ipsa alioquin præditus esset, & pro libitu vti posset) & *sicuti* spreuit *eloquentiæ flores, & orationis cincinnos, ita barbariem pro viribus euitauisse*. Quæ cùm ita sint; quis posset non disquirere, quænam vires fuerint ad barbariem euitandam tam magnifico Rhetori, & tam confidenti aliorum Censori, imò Emendatori? Breuissimè igitur ab eodem petamus, An emendatè scripsisse se, credat, dum in ipsa Præf. pagina XXXV. scripsit, in *vesiculis componentes testes*; vice scribendi, in vesiculis componentibus testes; dum pagina 81. scripsit *corpus resultante*, pro corpus resultans, & p. 83. *gusto morboso*, pro gustu morboso, & p. 607. *fretus addidisse*, pro fretum addidisse, & p. 327. *veluti mulieres, quam quisque amplectitur, prout placet*, vice scribendi, quas quisque amplectitur, prout placent, & in Opusculis p. 179. *cognoscituram* pro cogniturum, &c.? Quibus si in locis Typographi esse errores, contendat, qui sibi inter corrigendum elapsi sint; tametsi non ita facilè concedam, tam diligenti Aliorum Correctori tot, & tam grauia, atque abnormia elabi potuisse; concedam tamen; sed statim petam An etiam de his alijs miser Typographus sit culpandus, quòd nempe p. 258. legatur *instar bombardizantis militis explodere*, & rursus p. 284. *bombardizantem Antagonistam redarguere*, in Præf. autem p. XXXI. *elixari, & deinde anatomizari*; aut quòd legatur p. 282. *nimium mancipium* pro nimia seruitus, quod in *Syllabo* etiam repetitum est; atque vt nihil dicam, quòd legatur p. 602. *fallacem ideam causabat*, & p. 690. *causat disputationes prolixas, &c.* pro gignebat, & producit; Illud denique petam, an vbicunque scribendum erat, deriuatur, aut deriuatum est, Typographus perpetuò, atque adeò quasi consultò labi voluerit tam in Opusculis, quàm in *Vigilijs*, imprimendo *deriuat*, aut *deriuauit*: quo licet erroris genere Viri, vt his temporibus, satis diserti, aliquando lapsi sint; non proinde tamen minùs id constat errorem esse, aut minùs esse vitandum his, qui *barbariem eui-*

tare

tare se, dicunt. Sed leuia hæc alicui videantur, & transeunda; illa certè sunt omnino memoranda, quòd in *Vigil*. p. 507. legamus hanc constructionem: *dicere, quòd quotiescunquè liber lumini transitus permittitur subalbum oriri colorem*; cui non multùm dissimilis est alia, quæ occurrit p. 191.; & quòd in Opusculis p. 88. habeamus hanc periodum. *Vndè, quotiescunque afferuntur motiua, quæ ostendunt eandem Disquisitionem veros vsus non detegere, aut si ex hypotesi manifestaret; Medicum curantem independentèr ab his posse sibi satisfacere ob communitatem morborum, ideoquè nunquàm limites controuersiæ exceduntur*; cui aliam non absimilem legimus in *Vigiliar*. p. 386. quam, breuitatis causa, vt alia multa, non adducimus. Vt verò his singularibus relictis, nonnulla in vniuersum notemus circa hominis elocutionem; illud inprimis apud omnes ratum est, sacrosancta, quæ sæpiùs Ecclesia repetit, verba, sicuti in frequenti vsu esse conuenit orantibus, & de sacris mysterijs loquentibus, ita à Scriptoribus rerum præcipuè à diuinis longè discrepantium, summa cura vitanda esse. Et tamen noster (tantùm abest, vt vitet) ea potiùs videtur diligenter quærere, atque sectari. Vt enim mittam illud *inæquali sorte vitæ, vel interitus*, & alia similia, quæ me quondam in eius Opusculis legisse memini; quid frequentiùs in *Vigilijs* occurrit, quàm *audemus dicere*? quod nimirum p. 51. 278. 437. & alibi repetitum est. Ad hæc, *Sit nomen Domini benedictum*, quod p. 460. & *noctem lux eliminat*, & *alimentum est ex adipe frumenti*, quæ habentur in Præf. p. XXXVIII. & alia huiusmodi qua reuerentia; dum à Sacris Ministris audio, aut ipse tacitus mecum lego; veneror, & colo, eâdem doleo ego, atque indignor, si in profanis libris extra suum locum, & sedem comperio; eloquentes autem Viri, qui tam consueta, & frequentia nobis verba suis scriptis intermisceat, planè derident. Quòd si sanctissima, atque optima verba ob nimiam consuetudinem in elocutione non placent; vt putas, ea displicere, quæ præterquamquòd frequentissima sunt; in ore prætereà vilis cuiusque homuncionis assiduè volutantur? qualia tamen noster adhibuit p. 303. dum inquit, *Antagonistam nouitatum catarrho affectum fuisse*, & p. 400, scribendo, *Rumor* (idest strepitus, & clamor) *Antagonistæ nullum aliud fundamentum habet*, *&c*. & pagina 100. *pudor est* (hoc est dedecet) *antiquos Authores cumulare, & recensere, qui &c. cùm sint vel ipsis tyronibus notissimi*: aliaque plurima, quæ ex vernaculo idiomate sæpissimè assumpta suisScriptis intermiscuit, ita vt hoc saltèm in

sen-

sensu falsum sit, quod testatur p. 543. *semper se locutum fuisse latino sermone, nunquam idiomate Bononiensi, ac rudem, ineptam, rusticam, & vernaculam linguam in controuersiis litterarijs neglexisse*. Huc spectat vitium illud, quo cùm multi alioquin hac nostra ætate detinentur; tum *Vigiliarum* Scriptor vehementer laborat, componendi scilicet & phrases,& periodos, & periodorum membra, dum latinè scribere intendunt, eadem ratione, qua componunt, dum natiuo idiomate scribunt. Hoc enim vitio qui laborant (vt plures, in alijs etiam linguis, interpretes, siue traductores solent) vbi verba latina scripserint, se latinè scripsisse, existimant; nihil porrò curantes, an Latini sua verba hoc modo, aut illo disponerent, & an periodorum particulas ita connecterent, atque ordinarent; nouissimè, an de periodo ad periodum ita, an secus transirent. Sed epistolam in infinitum extendam, si velim hæc, & similia nostri huius Scriptoris vitia diligenter notare, atque ostendere; vt illud, quòd in latino sermone non infrequenter græcè loquatur, idest græcas voces adhibeat, cùm latinæ, & quidem meliores, suppeterent; aut quòd ijsdem rebus frequentissimè non solùm repetitis, sed per longas, & superfluentes ambages vt plurimum expressis, in idem *multiloquium* absque vlla dubitatione incidat, quod alijs immeritò sæpè obiectauit,& quod neminem magis dedecet, quàm prudentem Scriptorem; aut tandem quòd dum *barbariem vitare se*, profitetur, in barbara Scholasticorum vocabula, & scribendi modos, nulla cogente necessitate, sæpissimè prolabatur. Vidimus, vt barbariem, & affinia huic vitia *Vigiliarum* Scriptor vitauerit; nunc, quomodò alia, quæ in sua Præfatione quasi spondet, in suis Scriptis obseruauerit, videamus. Inquit igitur in Præf. p. XLIV. verbis aliquot alicunde surreptis. *Robustus, virilis, masculus sit omnis sermo Anatomicus, & Physicus, non nimis diligenter ornatus, non pascat aures, sed animum, & qui secus censent, oculis student, non rebus; lepori, & delectationi, non robori, & necessitati incumbunt, flores colligunt, & fructus marcescere sinunt*. Ad quæ vltima verba (nam hæc, vt puto, ex parte iaciuntur in Præcl., & Eloquentem Anatomicum, Præceptoris nostri Amicum, & Fautorem meum, dum viueret, humanissimum; qui aliàs in *Vigilijs* perstringitur) Vir iste, si adhuc viueret, fortasse per Cardani verba responderet: *His quos vitia delectant, velut barbaries, obscuritas, inæqualitas (hæc enim tria maximè vitia multis grata sunt: velut & authoritatum multitudo, & Græca miscere Latinis) quomodò satisfacies,*

nisi nitorem omnem ex oratione sustuleris? Ambitiosi ergo Græca, & authoritates libenter mistas vident, etiam non satis aptè, narrationi. Inæqualitas placet multis — Barbaries placet ex consuetudine: adeò vt suam miseriam causam esse velint damnandi aliorum felicitatem. Sed hæc obiter; Nam illud potissimùm hìc loci ago, vt videam, an elocutio, quæ in Scriptis Censoris huius nostri adhibetur, verbis illis grauibus, & seueris respondeat, *Robustus, virilis, masculus sit omnis sermo Anatomicus, & Physicus.* Et primò quidem nullus dubito, quin ipse nihil interesse putauerit inter barbarum, & robustum, inter plebeium, & virilem, inter negligentem, & masculum; vt ex superiùs adductis conspicuum est. Deinde illud ab eodem postulo, An credat, robustas, viriles, masculas esse has loquendi formas, quibus ipse adeò delectatur, p. 129. *Sanguis est opus operum, anima purpurea, pars princeps in corpore, instar laris familiaris, &c.* p. 598. contra obseruationes microscopicas, *Retinæ ocularis piscatus parum prodest, &c.*, atque vt alias omnes omittam; suntne *robustæ, & viriles* istæ, quas adhibuit p. 140. *Praxin medicam multi absoluunt paucis pulueribus non impedientibus, quin cito in puluerem conuertamur, aut matre perlarum, quæ potiùs nouerca, quàm mater, copia oculorum cancri, quibus in foueam multi cadunt*; quarum tamen nonnullæ, ceu eximia quædam, & decies placitura orationis lumina alibi repetuntur, vt p. 464. Nihil hìc dico de huiusmodi formis, quæ in Opusculis occurrunt; & breuitatis studio, vel istam longè pulcherrimam mitto, quæ in eorundem p. 180. inuenitur, scilicet Petrus Regis *debebat antè assensum, & aporobationem, maiestate, & grauitate regia causam cognoscere.* Porrò hæ omnes dicendi formæ, tantùm abest, vt *robustæ, viriles, masculæ* censeri possint, vt nihil eisdem effœminatius, nihil puerilius, nihil fractius queat iudicari, si modò iudex non eligatur ex miseris eorum reliquijs, quorum Scripta Patrum nostrorum memoria heu nimium patienter laudabantur. Nunc quando istum *Vigiliarum* Authorem ita infractis, & puerilibus dicendi formis, necnon barbara adeò elocutione vsum esse, liquidò ostendimus; quis crederet, ausum eundem fuisse, Præclarissimi inter Latinos Scriptoris elocutionem in suis *Vigilijs* improbare, nisi ex earundem p. 494. euidentissimè hoc pateret? Quod quidem quomodò, & qua occasione fecerit, præstat hìc breuiter exponere; vna enim eademque opera multa proferentur, ex quibus quanta sit in hoc homine elucutionis notitia, atque præstantia, dilucidè cognoscetur. Itaque p. 362.

suæ

suæ *Resp.* Præceptor noster in eundem hominem hæc scripserat: *La latinità che l'autore vanta tersa, e di buon secolo, è una raccolta di periodi rubati da buoni autori, concatenata con vno stilo, e frase per lo più barbara*; atque vt non sinè ratione ea se dixisse, confirmare t; per eadem, quæ tunc considerabat, *Responsionis* verba statim id „ probauit, inquiens, *In questo paragrafo Seneca vi pone* „ hoc „ habent in se, &c. „]. Multa horum occasione in *Vigilijs* conscribuntur: nos aliquot tantùm adducemus. Et primò. Ait noster, se *non erubescere palàm confiteri ab alijs excerpsisse quicquid meliùs exprimi non potest*, & *omnes Veterum imitationem desiderare, & alienas differendi formulas adhibere sinè calumnia notum esse*. Sed pariter notum est, aliud esse imitari, aliud surripere: quorum non illud (nulla enim occasio est) sed istud obijcitur. Et quamquam ab alijs excerpere non vetamur quidquid meliùs exprimere non possumus; oportet tamen si non expressè, at saltèm nota, & indicio aliquo id confiteri, præsertim vbi plurima simul excerpuntur; Deinde hoc ipsum multo cum iudicio, & moderatione faciendum est; non enim laudauerim, quòd in breui Epistola (qualis est ea *Dissertatio*) aut exiguo alio simili Opusculo sæpissimè id fiat; multò minùs, si plurima simul & vna vice excerpantur; & minùs adhuc laudauerim; imò reprehendam, si non ita bona excerpere sustinueris; vt noster, qui in Sostrati historia, & quæ circa eandem sunt, conscribendis, qualiacunque tradu-ctoris cuiusdam verba larga manu in suam epistolam transtulit. Secundò, ait. *Antagonista quò pergeret ignorabat, verba eiusdem paragraphi hoc ostendunt, nam modò ab optimis authoribus nos discere contendit, modò constructionem habere barbaram, &c.* At nunquam is dixit, hominem ab optimis Authoribus *discere*; dixit verò, & meritò sanè, ab his, atque illis Authoribus *surripere*. Quod verò attinet ad *constructionem*; Magister quidem noster non ita æquiuocè scripsit, vt in latina versione, *constructa stylo, & phrasi vt plurimum barbaris*; sed clarè, & determinatè; vt nos ex italico exemplari retulimus; *concatenata con vno stilo, e frase per lo più barbara*; in connexionibus namque surreptarum periodorum, & in transitu ab vna ad aliam propria hominis barbaries potissimùm deprehenditur. Sed vtrolibet sensu accipiat; nos superiùs, in vtroque reprehendi posse, monstrauimus. Denique Nobilissimi Scriptoris Senecæ; quod superiùs innuebamus; improbare elocutionem non veretur. *Seneca*, inquit, *vt animaduertunt omnes, est inelegans, quare non potest Antagonista adducere au-*

thoritatem Senecæ ad nostram elegantiam furtiuam demonstrandam. Sed vel ipse hanc censuram adeò audacem, & confidentem esse, intellexit, vt ad ipsius inuidiam à se depellendam, Crinitum statim, & Quintilianum, Aulum Gellium, Floridum, & Verderium adducat, qui, vt ipse inquit, idem de Seneca censuerunt. Imò addit, Senecam *communiter dici arenam, sinè calce*. Hoc in loco vt liberè dicam quod sentio; vehementer suspicor, nostrum hunc hominem ignorare, elegantiam aliàs accipi pro cultu, atque ornatu orationis; aliàs verò pro eiusdem perspicuitate, & puritate. Porrò in *Responsione* non fit sermo de illa; sed de ista. Scribitur enim, *La latinità, che l'autore vanta tersa, e di buon secolo*, & in hoc quidem sensu ostenditur, quid Senecæ surripuerit. E' contrario autem hi Authores, quos adduxit, ceu in Seneca elegantiam negantes; facilè omnes de illa, non de ista verba fecerint; fuit enim Seneca; vt loquitur Causinus; *latinitatis peritissimus*. Certè Crinitus (namque omnes peruoluere modò non vacat) expresse *vt incultum* notat; Fabius verò Quintilianus nimium fractarum sententiarum amorem, & quæ sunt similia, non verborum inelegantiam in eodem reprehendit; Qui autem primus dictitauit, Senecam *commissiones meras componere, & arenam esse sinè calce*; nunquam elegantiam eius elocutioni, sed compositionem, quæ altera elocutionis pars est, deesse, autumauit; neque aliter sensit, id explicans Doctissimus Vir Sabellicus in *Paraphrasi* Tranquilli, neque aliquis ex ijs, qui dicterij illius vim intelligunt, aliter sentire potest. Quid, si contendam, neque illam ipsam elegantiam, quæ pro cultu, atque ornatu accipitur in Seneca defuisse? Certè absque eo quòd confugiam (quod noster fecit) etiam ad Recentiorum sententias, quorum alij, vt Causinus; qui cum Cicerone eundem comparat; *viro eleganti* assimilant: alij, vt Malebranche, *multum elegantiæ, & venustatis* in eodem agnoscunt; possum & Vetustiores, & Veteres ipsos in meæ sententiæ probationem adducere, vt Sidonium Apollinarem, qui absolutè *facundum* vocauit, & Martialem ipsum, qui simili appellatione bis insigniuit, & Aulum Gellium, qui aliorum iudicio (nam ipse de Seneca non iudicauit) *seueritatem, grauitatemque non inuenustam illi non deesse*, confessus est, & Suetonium, qui (*in Caligula*) *lenius comptiusque scribendi genus* non obscurè ipsi tribuit, & præ cæteris optimum hac in re iudicem Corn. Tacitum, qui suor. Annal. l. 13. *multum cultus eius orationi, ipsi* verò *ingenium amænum* fuisse, testatur. Cùm

igi-

igitur *Vigiliar.* Scriptor neminis attulerit verba, qui primam illam elegantiam Senecæ denegauerit, cùmque ipse è contrario tot tantaque testimonia adduxerim eorum, qui vel secundam hanc eidem Senecæ detulerunt; profectò ille non sinè magno audaciæ, & confidentiæ exemplo, in citata pagina absolutè scripsit, & *Senecam esse inelegantem*, & id *omnes animaduertere*. Et quoniam scio, Antonine, plurimùm te, & doctissimum quenque lectione, atque elegantia Senecæ oblectari; non verebor, vt prolixus in eius defensione videar, si hoc quoque adiecero. Scilicet potiora, quæ noster in Senecam adduxit, testimonia non ita facilè esse admittenda. Primò enim quòd *communiter dicatur arena sine calce*, non scio; illud scio, peruersum Caligulæ ingenium primùm hoc dicterium excogitasse, & cùm opposito omnino orationis genere delectaretur, illud in Senecam suo tempore florentem, & maximè placentem quasi ex inuidia coniecisse. Imò cùm subit, monstrum illud hominis „ tanto lino-„ re, & malignitate aduersùs optimum quenque Scriptorem „ grassatum esse, vt; Tranquillo referente; de Homeri carmi-„ nibus abolendis cogitauerit, Virgilij verò, & Titi Liuij scri-„ pta, & imagines paulùm abfuerit, quin ex omnibus biblio-„ thecis amouerit: quorum alterum, vt nullius ingenij, mini-„ mæque doctrinæ, alterum, vt verbosum in historia, negli-„ gentemque, carpebat „; cùm, inquam, hæc subeunt; tantum abest, vt quidquam contrario eius indicio, & testimonio commouear, vt potiùs ijsdem prope magnificis verbis, quibus Nobilis quondam Scriptor in re consimili est vsus, hic nobis vtendum iudicem, *Tali dedicatore damnationis nostræ gloriamur: qui enim Caligulam nouit, facilè intelliget, nonnisi magnum aliquod bonum ab illo potuisse damnari*. Quod verò attinet ad alterum illud testimonium; Norunt omnes, Fabium Quintilianum, Virum summo ingenio, & incomparabili aliàs iudicio, paulò iniquiorem in coætaneos suos fuisse: & mirum est, eius testimonio *Vigiliarum* Scriptorem innixum esse, qui p. 389. vt Celsum à Fabij censura tueretur, iam scripserat, *à Castellano in Vitis Illust. Med.* hunc Authorem *castigari*, *& meritò his verbis*: „ Quintilianus censuræ plerumque iniquæ compertus, vbi non „ absunt motus æmulationis aut frigidè laudat, aut etiam „ apertè reprehendit „. At non solum Castellanus; sed alij plures; quos inter Doctissimus Author Causinus, Fabij censuras in coætaneos, & nominatim in Senecam intemperantes censuerunt.

runt. Quinimò idem Causinus, postquàm illius, & Auli Gellij maledicta à Senecæ elocutione propulsauit; ita in l. 3. *de Eloqu.* c. 14. conclusit. *Hac contra Quintilianum, & Aulum Gellium, qui Seneca intemperanter maledicit, grauissimi Authores censuerunt, & censent omnes viri cordati, qui hoc potissimùm authore delectantur*: quem locum affero, vt Lectores cum his vltimis Eruditissimi Causini verbis nostri huius hominis verba conferendo, agnoscant, quanta hic præcipitantia scripserit. *Seneca, vt animaduertunt omnes, est inelegans, & communiter dicitur arena sinè calce.* Esset hic denique aliquid subijciendum de hominis ortographia; cùm similes ipse errores in alijs reprehendere non omiserit: quod si præstarem; nescio, Antonine, an risum teneres, vbi animaduerterem, admonuisse hominem in calce sui libri: *nonnulla menda in pracedenti impressione clanculùm irrepsisse, quemadmodùm constat. pag. 441. 615. vii. &c.* ac si in his tribus tantùm, aut paucissimis alijs paginis aliquis error fortuitò prorsum elapsus esset; cùm nulla è contrario pagina in libro tam vasto occurrat, in qua plura menda monstrari non possint: cuius rei specimen habebis in ijs, quæ ex eodem libro adduximus, verbis; Ego namque Typographum meum coegi, vt tam in ista, quàm in seq. Epistola ea verba imprimeret ijsdem omnino literis, accentibus, interpunctionibus, quibus in *Vigilijs* leguntur, non hac quidem planè de causa; sed ne homo querulus, vt solet, exclamare iam queat, nos eius verba, eiusque sensa (vel quoad litteræ vnius apicem) corrupisse. Vt verò peculiari hoc ortographiæ eius examine hic abstinerem, mouit me timor, ne *Vigiliarum* Scriptor in me continuò suum illud grauissimum iudicium proferret, *Istum non consideramus*. Inquit enim in Præfat. p. xliv. de hoc suo libro verba faciens. *Alij annotabunt puncta, alij comas, seu interpunctiones, alij accentus, sed istos non consideramus, cum non sint de meliori luto*. Quas quidem contemptus, & despicientiæ minas si (vt hi qui timent) præmisit, vt nos ab huiusmodi censura deterreret; rem sanè superfluam fecit, & quod minimè timendum erat, pertimuit; Quis enim tam minutos errores in eo libro notare velit, in quo passim multò grauiores occurrunt, si linguam spectes, itaut in his ipsis, quæ nunc fortè adduximus, verbis grauis error non desit; si verò alias potiores partes consideres; longè grauissimi? Ad hæc, quis adeò patiens esse possit, vt longissimum, imò infinitum hunc laborem in se velit suscipere, cuncta nempe talia

huius

huius libri menda perlegendi, nedum colligendi? Me verò, vt hanc censuram omittam, præter has causas, id etiam impellit, quòd iam nimis diu Lectorem auidum remorari mihi videar, quin iam Horatij Epistolam legat: ad quam porrò iam ipsum dimitto, hac breui addita admonitione; Vt priusquàm eam totam, aut saltèm maximam ipsius partem perlegerit, iudicium de eadem ne ferat.

X. Et hæc quidem Lectori meo. Nunc vnicum verbum libenter dixerim ad aures ipsius *Vigiliarum* Scriptoris. Scilicet me erga illum ita esse affectum (& tantò magis Horatium, hominem alterius Scholæ, & qui ne de facie quidem ipsum cognoscit) vt, excepta ista cum Præceptore meo controuersia, & editis hucusque in hanc rem Scriptis, ipsum & diligam, & quanti par est, faciam, & vltrò confitear, multò meliora posse ipsum scribere, si velit, quàm antehac scripserit; quod verò attinet ad mores; nunquam; vt alibi dictum est; per Epistolas hasce intendi prauæ ipsum intentionis accusare; sed omnia in antipathiam quandam, & insensibiliter contractum dissidendi habitum expressè refundi. Quòd si hac declaratione non contentus, de me adhuc conqueri velit; primùm rogabo, vt consideret, quæ ipse scribit p. 411. nimirùm [Is, *inquit eloqnentiæ Parens*, qui non defendit iniuriam, neque propulsat à suis, cùm potest, iniustè facit. *Hoc ipsum scripserat Xenophon, & omnes conueniunt, iniustum esse sua iura prætermittere, dum luxuriantur calumniæ*. Deinde, vt animaduertat, non posse *iniurias*, & *calumnias* à suis propulsari, nisi iniurias, & calumnias esse, probetur, atque adeò nisi aduersarius perstringatur. Denique, vt priusquàm conqueratur, nos istud, aut illud in se scripsisse; quieto, & composito animo videat, quid ipse in Virum Incomparabilem Præceptorem nostrum iam scripserit, & antequàm nostra, sua, quæ vtplurimum adducimus, verba legat, & diligenter perpendat. Quòd si adhuc non de se; sed de nobis conqueri volet; ipse viderit; Ego certè, & Amici mei quid tunc nobis agendum sit, vidimus.

Tu verò, Antonine Humanissime, iterùm me, & pietatem meam excusatam habe, & apud Horatium tuum excusa. Quòd si per has curas, & occupationes meas ad vos dabitur intrà mensem hunc transfretare; ipse meam apud vtrumque causam dicam, eandem, vt confido, obtenturus. Vale.

Dabam T. N. octauo Calendas Maij 1705.

HORATIVS
DE FLORIANIS M. E. P.
ANTONINO SVO S.

QVO'D *Oculorum*, *& Mentis Vigilias*, librum nempe istum contra Præceptorem tuum nuperrimè euulgatum, vel antequàm ipse legeris, ad me transmisisti; pro hac re, Antonine Amicorum optime, magnam tibi gratiam habeo: quòd verò postulas, ne librum ad te remittam sinè aliqua ad eundem responsione, sin minùs, absque iudicio de eodem meo; id porrò faciendi non est vllum mihi otium modò; & quando etiam plurimum esset; an facerem, certè non scio. Quoniam tamen Iuuenis iste familiaris tuus, qui librum ad me detulit, & qui tibi cum his meis litteris est redditurus, seriò negat, te æquo animo meam hanc taciturnitatem laturum esse, vrgetque, vt quando neque responsionem, neque libri iudicium mitto; si quæ inter legendum, singularia in illo obseruaui, ea saltèm ad te perscribam; hoc quidem libenter præstabo, maximè cùm talia obseruasse mihi videar, quibus lectis, non ita ægrè feras, quòd in cæteris, quæ postulaueras, non paruerim. Cùm autem plurima planè singularia passim in hoc libro animaduerti; tum nihil singularius, nihil frequentius his duobus notaui: *Quòd Præceptori tuo eiusmodi errores magno cum strepitu obÿciantur, in quos nullo modo inciderit: & Quòd homo iste, qui obÿcit, in eosdem intereà errores verè incidat, quos alteri immeritò obÿciebat.* Quinam

igitur ſint iſti errores, & quomodo in illos alter quidem nequaquam, alter verò euidentiſſimè incidat, hac ego epiſtola tibi indicabo: in qua tamen non illos omnes adducam, quos poſſem; ſed hos tantùm, qui ſcribenti ſuccurrent. Porrò eorum, quos adducam, locum, in quo quiſque extat, fideliter adnotabo, hoc conſilio, vt tu, qui librum mox leges; cum eius locis locos huius epiſtolæ, ſingulos cum ſingulis conferre queas; tum ſi inter tot, eoſque tam varios aliquem fortè deprehendas, in quo ipſe deceptus ſim; illam per te ipſum confeſtim poſſis epiſtolæ partem expungere. Quod ſi contigerit; veniam dabis, vt ſpero: ſi enim dies bene computas; me librum hunc ſemel, aut bis tantùm percurriſſe, comperies: & alioquin ego priuatas eiuſmodi epiſtolas, ad quemcunque ſcribam, ſcribere elaboratas non poſſum; ad Amicum verò fortaſſe nec debeo.

II. Vt ab illo errorum genere primùm incipiam, quod primum ſuccurrit; non vno in loco Præceptori tuo immeritò obijcitur, quòd aliqua, quæ ad rem non faciant, in medium adduxerit. Sic pagina 462. *nihil eſſe ad rem* dicitur ſimilitudo quædam, quam à Pictoribus ille deſumpſerat in ſua *Poſthuma Reſponſione* pag. 350. in editione quidem Amſtelodamenſi (quam quia noui, tibi ad manus eſſe præ cæteris, in hac epiſtola innuere ſemper intendo, cùm aliquam *Poſthumorum* Ipſius *Operum* paginam deſigno; ſicuti parem ob cauſam, editionem Lugdunobatauam ſequor, cùm aliorum eiuſdem Viri *Operum* paginas indico.) Rationes verò, cur ea ſimilitudo nihil eſſe ad rem dicitur, multæ ſunt falſæ; omnes autem debiles. Ne cunctas referam; prima eſt, quòd *pictoribus quidlibet audendi ſemper fuit conceſſa poteſtas*, *non medicis*; quaſi verò ille ſimilitudinem iſtam adhibuiſſet ad euincendum, quòd Medicis ideò aliquid liceat, quia licet idem Pictoribus; cùm potiùs ad ſenſuum ſuum, quod

(vt

(vt apud ipsum expressè videre est) ibi iam supponebat probatum, dilucidè explicandum, inculcandumque adhibuerit. Pariter cum occasione cuiusdam Dicti Aristotelis in *Dissertatione de Recentiorum Medicorum Studio* producti, aliam eiusdem Philosophi authoritatem in *Posth. Resp.* p. 372. adduxisset Magister tuus; ait homo ille in *Vigilijs* p. 531. se non percipere, quomodò hæc authoritas illud Dictum infringat. Verùm tantùm abest, vt Præceptor tuus authoritatem hanc ad illud Dictum infringendum adduxerit; vt Dictum illud extra omnem controuersiam esse, clarè fateatur. Quemadmodùm verò homo ille hos duos Magistri tui locos, quia non benè intellexit, ideò ab re esse, iudicauit; ita de alijs eiusdem locis, ob eandem causam censuit, nominatìm de illo, de quo agit in *Vigil.* p. 361. quod infra commodiùs fortasse ostendam. Interim; vt ab his minùs notabilibus, & minùs etiam iucundis, in quæ primùm fortè incidimus, tantò citiùs nos expediamus; ad Illud alterum ostendendum transeo: Vt nempè iste homo verè ipse incidat in hunc errorem, quem in locis indicatis immeritò alteri obiecit. Inprimis igitur inspice passim vniuersum librum, præcipuè verò *Mantissam Subsidiariam, vbi de Microscopij Vsu*; plurima enim ibi deprehendes, quæ adeò ab re sunt, vt neminem (nisi fortasse puerum, aut stultum aliquem) qui hucusque microscopio vsus sit, nedum Præceptorem tuum, in quem potissimùm iaciuntur, ferire possint; quorum nonnulla quænam sint, versùs calcem epistolæ, vt puto, expressè indicabo. Aut etiam percurre *Syllabum Rerum*, vt ille homo vocat, *Memorabilium*; in eodem namque hæc inuenies. Pag. 650. *Antagonista de duellis nullam cognitionem habuit*, & pag. 657. vlteriùs *Duellum requirit causam. Duellum excludit apparatum verborum. Duellum non requirit linguam armis promptiorem. In Duello ense solo non est pugnandum*: item

p. 685. *Pictores multa vident in vmbris*. p. 693. *Sutor nequit ad omnes homines vnum calopodium accomodare* : & p. 666. *Iuuenes intelligunt, & referunt, vt iuuenes*, & rursus p. 685. *Paruuli sciunt, vt paruuli, & referunt, vt paruuli* : pag. verò 675., & 667. tritissimos illos versiculos, & ne pueris quidem ipsis ignotos. *Mille modis lethi miseros mors vna fatigat. Mille mali species, mille salutis erunt. Infelix lolium, & steriles dominantur auenæ*, & p. 660. *Felix, qui potuit rerum cognoscere causas. Fronte capillata, post hac occasio calua* : & similia alia complura, quæ quantùm inter res mediocriter etiam memorabiles ineptè, & ab re collocentur, non est quod ostendam. Neque putes, *Syllabum* istum ab eodem homine fortasse scriptum non fuisse ; nam pag. 694. & 698. ipse Syllabus prodit qui se scripserit ; in prima enim legitur. *Sodalis meus fuit Antagonista discipulus* ; in secunda autem *Vrinæ similes à nobis sunt obseruata in nobismetipsis* ; tum liber totus non abludit ; cùm nempe rebus, quæ non magis ad rem faciunt, quam eæ, quæ ex Syllabo adductæ sunt, passim repleatur, vt supra indicabam, vtque de plurimis paucis aliquot productis locis, ex parte iam monstrabo. Pag. enim 331. postquàm secundùm aliorum sententias dictum est, vapores à certis visceribus ad caput eleuatos anilia figmenta esse; additur. *Hæc ex aliorum mente dicta sint : Si quis autem à nobis quæreret, quid pro veritate sentiendum sit de vaporibus, tenemur dicere euaporationes ad caput non esse somnia*; Quicunque libros legere solet, quorum Authores ad rem scribant, hìc sanè crederet hominem loqui de vera istiusmodi euaporationum existentia ; & tamen tu interim potes videre, de quo loquatur, ex his, quæ immediatè adiungit ; *hypochondriaci viri, & hystericæ mulieres istas* (euaporationes) *sine dubitatione testantur* : — *nos hunc halitum experimur cum vertigine, qui terminat cum pruritu in cute, & quotidie similes relationes*

nobis

nobis proponunt ægrotantes, & alia iſtius farinæ, quæ ſicuti plurimis experta ſunt, omnibus autem ſatis ſuperque iam nota; ità nihil aliud probant, quàm dari ſenſum illum euaporationis à parte ad partem aſcendentis; qui, vt vides, neque ab vllo controuertitur; neque, quod caput rei eſt, ad rem quidquam facit. Cùm Præceptor tuus in *Poſth. Reſp.* p. 318. de Diabetis curatione verba faciens, commendet res maximè fluidas, & aqueas; quarum ſcilicet copia ſales diluantur, &c., homo ille pag. 337. hoc opponit. *Semper accidit, quod medicamentum ſub forma ſolida ſumptum, & in primis vijs ſubactum reddatur fluidum, vndè, cum hoc modo omnia ſint fluida, omnia eſſent opportuna remedia, quod eſt ridiculum*: quæ profectò admiratione digniſſima verba & nimis probare, & minimè ad rem eſſe, oſtendere non oportet.

Pag. 502. & ſeq. nil faciunt ad rem, & ſuperflua omninò ſunt animaduerſio, & examen, quod veluti ex cathedra, inſtituitur circa ſenſum cuiuſdam propoſitionis Præceptoris tui, huius ſcilicet, quòd *pili in vtero primordia trahant*; hæc enim propoſitio tali examine non indigebat; cùm eius Author, quod vel iſte homo confitetur, quo ſenſu eadem accipienda ſit, in *Operibus Poſthumis* p. 124. vbi illam propoſuit, ſatis ſuperque proprijs verbis declarauerit. In ipſa autem Præfatione *Vigilijs* præfixa p. x. ſcribitur, Stenonem docentem, *fibram muſcularem à ſanguine actuari pro motu, in hac parte inſtructum fuiſſe -- à Cæſalpino in quæſt. Peripateticis quæſt.* 3. *in fine, vbi argumentum ex ligaturis expreſsè proponitur, & refertur inſignis, ac memoranda Philoſophi authoritas in libro de „ Somno, & Vigilia cap.* 2. *quæ eſt.* „ Ampliùs autem, „ quil us in collo venæ apprehenduntur, inſenſibiles „ fiunt „.] At ſi citatum Cœſalpini locum, qui in libro 5. earundem *Quæſtionum* occurrit, vel obiter inſpicias; diſpeream, niſi attonitus ſtatim exclamas: quid

ad

ad rem hic locus? Cùm enim in adducta Præfationis parte verba fiant de Stenone docente, motum in musculis non haberi, si arteria eisdem prospiciens ligetur; in citato Cœsalpini loco non docetur, sed conijcitur, non motum, sed sensum, non in certa parte, sed in toto corpore haud haberi; si, non arteria aliqua peculiaris, sed venæ omnes ad cerebrum, neruosque, vt ille credebat, sentiendi virtutem à corde deferentes, colligentur; neque aliud sibi vult *memoranda* ista, atque *insignis* Philosophi authoritas, quam Cœsalpinus refert, & noster, quasi ad rem suam maximè fauentem, ex Cœsalpino transcribit. Sed quoad istud errorum genus; nullos alios hominis huius nostri locos præter vnum etiam hic adnotabo; cùm multos alios consimiles temet agniturum esse, pollicear, inter illos, quos vbi de Authorum sententijs malè relatis verba faciam; si quidem facere meminero; in medium posteà producam. Nunc verò istum, quem dico, locum reperies p. 353. vbi occasione plurimarum recentium obseruationum à magistro tuo in *Posth. Resp.* p. 322. enumeratarum, ait ille, si vellet, se posse ostendere, *maiorem partem prædictarum obseruationum non esse Antagonistæ*. Verùm in citato Præceptoris tui loco vndenam apparet, illas obseruationes esse ab eodem enumeratas, vt pro suis habeantur? Vtique nec verbum quidem eo in loco occurrit, vnde ipse videri possit easdem pro suis habere: quidquid enim de ista re sit; certè in nullum alium finem illas ibidem enumerat, nisi vt multa suo sæculo; quod ipse inquit; illustrata, inuentaque esse, confirmet. Quæ cum ità sint; poterat sanè illa censura in alium locum differri; cùm in isto impertinens omninò sit; cauendo tamen, & plurimùm quidem cauendo, ne fortè, vt complures aliæ similes, sic ea quoque futilis, inanis, & falsa esset, quocunque demum in loco proferretur;

III. Ete-

III. Etenim hoc quoque erroris genus plurimis in locis Præceptori tuo obiectum immeritò esse, animaduerti; quod nempe aliena pro suis vendiderit. Non pauci hìc mihi succurrunt loci, quos possim in hanc rem adducere; at succurrit simul, eosdem locos alia occasione posse infra commodiùs magnam partem proferri, vnàque illud ostendi; quocirca ex illis, aliquot tantummodò hìc adducam, & quidem excerptos ex ea libri parte, vbi homo iste, postquàm scripsit: *Si spoliaremus Antagonistæ Opuscula, & vnicuique, quod suum est, restitueretur, vtique succederet quod cornicula cum cæteris auibus euenit*, addiditque, hanc rem per illa, quæ *Antagonista in suis Operibus Posthumis de Pilis exarauit, liquido manifestari*; totus in eo est, & ex professo id instituit, vt Præceptorem tuum ex his, quæ ibidem de pilis scripsit, merum furem, merum plagiarium fuisse, ostendat. Primùm itaque hunc locum consideremus. Iam tuus Magister in *Exercitatione de Externo Tactus Organo*, vt nosti, docuerat, se obseruasse folliculos quosdam, in quibus pili implantantur, quos porrò folliculos in *Posthumis* vlteriùs describit. At homo ille furatum hos, dicit, affirmatque, ante ipsum ex alijs Doctoribus eosdem constitisse; ait enim p. 505. *lectio Parisani ostendit furtum; nam de Subtilitate, &c. hæc tradidit*. „Etenim vt dentes „ in suis alueolis fixi, & hærentes sunt, nec sinè dolore, „ & continui solutione, quod viuentis partis proprium est, euelli possunt, ita & pili „: *ampliùs ex Eustachio dentes suis mortariolis vnà cum periostio cinguntur, & si hæc competunt pilis cum Parisano, nonne constant folliculi pilorum ex alijs Doctoribus, quàm ex Antagonista?* Et ego infelix ita obtuso, ita stupido ingenio sum, vt cùm pluries quidem hos Parisani, & Eustachij locos anteà legissem; nunquam tamen rem istam in his tam clarè, tam perspicuè expositam, dari scilicet peculiares quosdam

ouales

ouales folliculos, in quibus pili implantentur, assequi, imò subodorari potuerim; nisi postquàm plagiariam illam *de Externo Tactus Organo Exercitationem*, imò nisi postquàm hanc hominis istius nostri animaduersionem; quamuis ita facilem herclè, & minimè duram; bis, terque legi, & relegi! Sed mittamus iocos, & ad aliud furtum, quod paulò ante, videlicet pag. 502. non sinè æquali iniuria Præceptori tuo obiectum est, examinandum veniamus. Cùm ergo iste aliud agens, & in alium prorsus finem verba quædam de lenta illa materia, quæ capillis circùm hæret, historiæ de pilis suæ intermiscuerit pag. 124., homo ille nil tale vnquam expectantem accusat furti; scribit enim. *Capillis circumhærere lentam materiam Aristoteles docuit inter veteres philosophos, & medicos l. 3. de Hist. Animal. cap. 11., vbi sic legitur.* „ Habet autem genus quodque pilorum ad suam radicem „ lentum quendam humorem, quo protinus, vbi euulsum est, si qua leuiuscula tangat adhæret, vt ea trahere possit tenaciùs „] Sed, mi homo, locus *Operis Posthumi*, in quo furtum ex hisce Aristotelis verbis detegere, & probare intendis; nonne est iste? *Nonnulli ramosos putant pilos, & tales delineat Dom. Bidloo, quod tamen non est certum. Illud tantùm constat, capillis circumhærere lentam materiam, quæ à loculis glandularum, vel à cute effluens, & super pilos excurrens, concreta in globulos, eisdemque hærens, speciem appendicum, & ramorum inducit.* Primò itaque non est opus, vt dicam, illum Aristotelis textum extra rem adduci, probemque exemplo Bauhini, qui suæ *Anatomiæ* l. 3. c. 2. eundem opportunè adducit; cùm non solùm Bauhinus; sed omnes videant, in illo textu non de lento hoc humore verba fieri, qui pilorum truncis circùm hæret; sed de illo, qui ad eorum occurrit radicem. Illud quidem dicam, Antonine, in adducto Præceptoris tui loco istam potissimùm egregiam dubita-
tionem

tionem proponi, An fortè alicui concretus ille humor ſpecie ramorum impoſuerit? obſeruationem verò de eodem lento humore non proponi iſlam quidem; ſed eatenus indicari, quatenus ad illam dubitationem comprobandam neceſſum eſt: ampliùs; hanc, quæ indicatur, obſeruationem non eſſe communem illam, quam rudis ſenſus paſſim oſtendit; ſed iſtam, quæ oculis microſcopio armatis obtinetur. Nunc poſtquàm ex adductarum obſeruationum examine tu potes ſufficienter cognoſcere, vtrùm iniuſtè homo ille fecerit, cùm Magiſtrum tuum ob ea, quæ in *Poſthumo Opere* circa pilos ſcripſit, cum Fabularum cornicula comparauit; illud etiam velim, animaduertas, quòd homo idem, qui ſuſceperat in ſe onus id oſtendendi, quique adeò, vt mihi videtur, res omnes, quæ ibidem ſcriptæ ſunt, ſingulas ſingulis ſuis Inuentoribus ſe relaturum, promiſerat; plurimas interim illarum non ſolùm nemini retulit; ſed nec tentauit quidem referre. Vt enim omittam haſce, quas modò dicebam, egregias circa pilorum ramos dubitationem, atque obſeruationem, cunctaque illa, quæ in pilorum folliculo obſeruata ſunt, quæ quidem omnia nulli referuntur; cui referuntur obſeruationes aeris cum ſucco, qui pilorum fiſtulis continetur, copioſè admixti, vndè variæ circa pilorum canitiem, & criſpaturam, circaque eiuſdem ſucci aſcenſum optimæ animaduerſiones, & coniecturæ deducuntur? cui peculiares in facie humana detectæ vnctuoſi humoris ſecretrices glandulæ, à quarum excretorio ductu, non ſinè adiacentis cutis vtilitate, pilus erumpit? cui refertur obſeruatio ſtructuræ pilorum, caulium plantarum inſtar, ſcilicet ex canaliculis, & fiſtulis per longum ſtatutis; nam de inani plantæ denominatione litem quis moueat? cui demum; vt alia mittam; radicis pili, ſeu bulbi, pilique capituli in eodem contenti ſedula obſeruatio, atque deſcriptio referuntur?

Has tamen plumas oportebat ſingulas priùs ſuis auibus reddere, deinde cum Græco omnimodam corniculæ nuditatem ridere. Sed puto, quòd illud non fecerit, quia iſtas omnes obſeruationes partim falſas, partim verò leues exiſtimauerit. At cur leuiora quæque alia, atque communia, quæ à Magiſtro tuo in nullum alium finem, quàm in complementum ſuſceptæ pilorum hiſtoriæ, eo in loco adducta ſunt, & quæ interrogatus ipſe ante omnes, non ſua, ſed communia proculdubio faſſus fuiſſet; cur, inquam, noſter ea omnia aliena eſſe, quamuis ſint leuia, monere tamen non prætermiſit? ex quorum genere omninò illud quoque eſt, quòd *pili ſub Cute implantentur*; licet noſter ille homo vehementer ſibi placeat ob hanc ipſam obſeruationem. Cùm enim Magiſter tuus obiter id quoque, vt multa alia, & ad complementum hiſtoriæ ſcripſerit; ait namque. *Implantantur pili ſuis radicibus, & bulbis immediatè ſub cute, & ſub corio, eorumque minimæ plantulæ in vtero ipſo primordia trahunt. Quare capilli, & pili, qui ſucceſſiuè per totum vitæ tractum manifeſtantur, à primordijs ſub cute latitant, & cuſtodiuntur ſuo tempore vegetaturi*; & cùm id quidem, vt ipſe vides, de pilis in vniuerſum ſcripſerit; ille homo hoc in loco eundem furti confidenter accuſat, affirmatque, ipſum didiciſſe rem (lippis, & tonſoribus notam) ex quadam obſeruatione, cuius ſe primum Authorem facit, quamuis hæc non vniuerſalis ſit; ſed, velut ipſe fatetur, in ſolis abdominis conſiſtat pilis. Scribit enim pag. 502. *Implantationem pilorum ſub cute à nobis didicit in noſtra publica anatome, & hanc obſeruationem in pilis abdominis hominis maximè obæſi primùm fecimus, occaſione conſuetæ anatomiæ Bononienſis, quo tempore hunc ortum in publico Theatro Anatomico Archigymnaſij demonſtrauimus, & radicationem pilorum in pinguedine omnium oculis oſtendimus, præſentibus plurimis Lectoribus, & Amicis honorandis, & quemadmo-*

admodum hæc obseruatio fuit noua, & contra communem opinionem, ita eandem Patres præsentes, & studiosa iuuentus benignè receperunt; verùm quidem est tunc temporis obseruationem factam solummodo fuisse in pilis determinatis, vt dictum est, non vniuersaliter, quod mànus tractu temporis alij tentarunt absoluere; obseruationem nempe, o Antonine, difficillimam, atque operosam; Et ne vnquam tantæ inuentionis gloria sibi periret; in *Rerum Memorabilium Syllabo* p. 687. distinctè rem adnotauit his verbis. *Pili sub cute implantantur, vt à nobis primùm obseruatum est.* & rursus *Pilorum radicationem in pinguedine primùm demonstrauimus*. Quid verò, si ego, qui ex instituto ostendere tibi iam debeo, hominem istum verè in hunc errorem incidisse, quem in altero sinè vlla ratione reprehendit; ab hac eadem obseruatione initium capiam, istamque ita nouam, ita difficilem, tam conspicua occasione, in tanto Theatro, ita solemniter, ità gloriosè primùm communicatam, istam, inquam, Pilorum sub cute, & in pinguedine implantationem, non quidem à vetustissimo aliquo, raroque Authore (notissimam namque appellaui) sed ab ijs Anatomicis, qui in omnium manibus & tunc versabantur, & versantur adhuc, depromptam, ablatam, surreptam esse, apertissimè demonstrem? Omninò autem necesse est, vt id faciam; cùm homo iste in omnibus prope suis scriptis Opus quoddam elaborare se, repetat, in quo Medicorum, atque Anatomicorum Recentium ex Veterum monumentis expilationes, & furta se ostensurum, ad nauseam vsque minatur, vt pag. 496. 498. 327. & in Præfat. p. vi., & in Opusculis p. 181. &c. Vt verò id faciam; non adducam tibi Bauhinum, qui in suis *Institutionibus Anatomicis*, vbi de *Capillis &c.* ait, quòd hi *à calore moderato protrusi, capitis cutim duram, crassissimam, attamen raram perforant*, neque Iohannem Riolanum, qui *Enchirid.* Anatom. l. 4. c. 1. de Capite

loquens, *Cuti*, inquit, *subiecta est Membrana Carnosa, fundamentum, & seminarium pilorum*; volo enim textum adducere, & omninò perspicuum, & qui omnia complectatur. Itaque in Realdi Columbi de *Re Anatomic.* l. 13. c. 2. vbi de Pilis loquitur, hæc leges. *Ortus eorum hic est; è cute emergunt eam totam perforantes: in radice crassiorem pilum, quàm in reliquis partibus deprehendes, pinguedinique illi affiguntur, quam inter cutem, membranamque carneam sitam esse, diximus, præter quàm in Scroto: proptereà pili alimentum à pinguedine trahunt, itàque augescunt.* Poterit igitur Censor noster & hoc suum furtum inter cætera Recentiorum furta notare, cùm suum illud præclarum Opus, & Rei Medicæ plùs quàm aliorum anatomica Opuscula longè proficuum; imò necessarium prorsus, euulgabit: in quo pariter notare poterit, illud cogitatum, quod post istam enarratam obseruationem, immediatè ipse tradit, *pilos* nempe *à pinguedine plurimum recipere*, illud quoque ab alijs ante ipsum traditum esse, vt ex allatis Columbi verbis perspicuum est. Sed antequàm ab hoc loco ad aliud examinandum diuertamus; animaduertas, Antonine; an credibile sit, nescio quæ alia ex publica illa Anatome Magistrum tuum didicisse, vt homo ille obiter dicit; cùm de ista quidem re, quam fusè, & productis propemodùm testibus, affirmat, ex eadem didicisse, quid sentiendum sit, videas: quod quidem eò enixiùs, vt animaduertas, rogo; quia nisi caueamus, plurimùm timeo, ne quidquid à quocunque inuentum est, quidquid & ipsi inueniemus, hoc omne in publica illa Anatome prædictum dicatur; non solùm enim nonnulla, quæ à tuo Magistro, sed quæ ab alijs Clarissimis Viris detecta credebamus, in eadem tradita priùs esse dicuntur. Ast ego nolo hominis istius fidem (quod ipse cum Præceptore tuo fecit) in dubium trahere; optabit tamen aliquis, vt de singulis illis rebus

testes

teſtes aliquot, eoſque legitimos, nominatim produxiſſet, à quibus certiores fieri poſſemus, non dico, an vtcunque; ſed an expreſsè, diſtinctèque eaſdem docuerit. Hoc enim omninò habet hic homo, vt cùm in omnibus, quæcunque ſint, notis, ignotis, facillimis, difficillimis velit os ponere, & cùm ſæpè res implicitè, & generatim (qua ratione vel quiſque poſſet) non expreſsè, diſtinctèque proponat; tandem aliquando, quæ reuerà non docuerit, ea tamen docuiſſe videri poſſit. Exempli cauſa attende hunc locum occurrentem p. 135. occaſione capſulæ vaſorum lienis. *Inuolucrum*, inquit, *ſimile in hepate Gliſſonus deſcribit, & nos in alijs partibus deteximus*. Potiſſimùm verò attende hunc alium locum in Præfat. p. xxxv. *Nos ſæpiſſimè varios muſculos elixauimus; cor pro diſtinguendo ordine fibrarum, & à Lowerianis obſeruationibus fuimus nonnihil alieni, de qua re alibi, ſi dabitur otium*. Nunc ergo ſi in publicum ego emitto; vt commodùm Cl. Frater tuus nudiustertius tuo etiam nomine hortabatur; meas illas in Loueri *Tractatum de Corde* animaduerſiones, & inter cæteras illam, in qua moneo, Fibras, quas Louuerus *per extimam dextri ventriculi Cordis ſuperficiem rectè ſurſum ad baſin tendentes* deſcripſit, & Fig. xiv. delineauit, licet in bubulis, & ouinis ſubiectis occurrant; in homine tamen non obſeruari, contra quàm idem Louuerus, potiſſimùm vbi talium Fibrarum vſum explicat, credere videtur, alijque paſsim eundem ſequentes; ſi inquam, hæc, & ſimilia nunc ego publicè propono; an homo ille ob ſua iſta vniuerſalia, quæ adduximus, verba, hæc omnia priùs docuiſſe dicendus erit? Vt exemplo rem explicem, hoc dico, Antonine Amicorum optime; non quòd ego vel tanti faciam meas illas animaduerſiones, aut quòd ipſas editurus ſim: hanc enim mihi veniam dabitis; ad tale genus ſcribendi non poſſum animum inducere. Et ne de hac re poſt finem epiſto-

epiſtolæ, vbi alia ſcribenda habeo, rurſus ſcribam; quid inter Fratrem tuum, & me actum ſit, hìc breuiter accipe. Oſtendi quidem Fratri tuo meas animaduerſiones, non tantùm veteres illas, & tibi iam notas; ſed & quaſdam alias, nempe Quòd Louuerus (Vir alioquin ſumma laude, & veneratione digniſſimus) p. 906. vbi quoties intrà horam Circulatio Sanguinis abſoluatur, ediſſerit; grauiter ea in re labi videtur; cùm ex ijs ſuppoſitis, vnde ipſe colligit, ſexies abſolui, pluries, quàm tredecies abſolui, colligendum omninò ſit: Quòd in ea figura, in qua Cordis Oſtia delineat, &c. (ea Fig. xiii. eſt Tabulæ xlii. in Tom. primo *Bibliothecæ Anatomicæ* editionis ſecundæ; in hac enim; quod oblitus eram dicere; Louuerum tibi cito, cùm eandem potiſſimùm eſſe tibi ad manus, ſciam;) in ea, inquam, Figura ex ſiniſtri Ventriculi Oſtijs neutrum in debito eſt loco; cùm Aortæ quidem Oſtium Oſtij Auriculæ ſiniſtræ occupet locum, & viciſſim: Quòd p. 887. primò, deinde rurſus pag. 888. Muſculos Coracohyoidæos ex *omnibus Muſculis totius corporis* ſolos tendinem in medio habere, & eſſe biuentres, ait; cùm tamen; ne quid dicam de Diaphragmate; inter Muſculos Maxillæ Inferioris, duo pariter biuentres occurrant Muſculi, quos proinde communiter vocamus Digaſtricos: Quòd p. 912. in ſuſcepta Cœliacæ Arteriæ, eiuſque Ramorum deſcriptione; quæ ab eadem proueniunt, Epiploicas Arterias omittit: quas cùm paulò poſt (quod eſt mirum) extra locum implicitè memoret; rurſus labitur, dum illas omnes ab vnico trunco prouenire, credit, quæ non ſolùm à Cœliaca; ſed à Meſenterica quoque naſcuntur. Omnes quidem iſtas, aliaſque etiam animaduerſiones Cl. tuo Fratri oſtendi, eiuſque iudicium diligenter audiui; ſed non inducor tamen, vt edam, & maximè poſtremas haſce. Ille quidem plurima dixit, cur id facere deberem, ea præſertim ſplendida occaſione

ſe

se vltrò offerente, quam frustra aliàs quæsiuissem; nouissimè tua consilia, vota, preces, quæ apud me iussus, atque imperij locum tenent, exposuit. At si me amas, Antonine; hoc vnum concedes, vt nempe meum illud, de aliorum libris aut bene, aut nihil dicendi institutum, sequar, & hoc satis esse, existimabis, quòd olim in domesticis nostris colloquijs illud institutum, quandocunque iussisti, remiserim, & adhuc in priuatis epistolis, quemadmodùm in hac quoque, summa cum facilitate, & familiaritate remittam. Hactenus hæc. Nunc verò, cùm superiùs ex illo, quem è *Vigiliar.* pag. 502. adduxeram, loco monstrauerim, hominem istum, qui commentitia illa, & imaginaria tuo Præceptori obiecerat furta, verè ipsum; non per ambages, & imaginationes; sed verè, inquam, & liquidè certas res è peruulgato Columbi libro surripuisse; reliquum est, vt aliquot alia, quæ modò succurrunt, eiusdem furta producam. Affirmat igitur in Præfat. p. xxxvi. *se primum in meatu auditorio vidisse fontes ceruminis glandulosos*. Etsi verò in similibus casibus nil credi solet; nisi certi, atque idonei testes adducantur; ego tamen ista in parte conniuerem, contentus incerto hoc, quo vti solet testimonio: De his fontibus *latissimè verba fecimus in nostra Anatome publica Anno Domini* 1673. At vndecim annis ante istam Anatomen, nempe anno 1662. Nicolaus Steno sub initium suarum *Observationum de Glandulis Oculorum* satis clarè iam dixerat, *glandulosam carnem in meatu aurium externo cartilaginem inter, & cutim se offerre, flauumque istum ex illis glandulis excerni succum*! An dicet hic noster, vel ante annum 1662. hæc sibi nota, & perspecta fuisse? Sed quando simplices huiusmodi assertiones valerent; liberum esset cuicunque noua aliorum Inuenta sibi arrogare. An adductum Stenonis locum sibi è memoria tunc excidisse? Sed si hanc veniam (facilè aliàs concedam) sibi

præ-

præſumit; cur alijs (huius veniæ tamen reuerà non indigentibus) eandem ipſe non dedit; ſed publicè furti accuſauit? Deinde hæc conſidera, quæ habet p. 61. *Cum microſcopio*, inquit, *nobis innotuerint vaſa ſanguinea diſtributa per marſupia membranoſa figurarum diuerſarum pinguedinem aſſeruantia, in ſententiam veterum ſine difficultatè iuimus, &c.* Nonne ſibi arrogat, ſi Diuis placet, eaſdem obſeruationes, quas in ea ipſa, quam hìc impugnat, *de Omento, & Pinguedine, &c. Exercitatione* iam fuerant à ſuo Magiſtro diſtinctè, & luculenter expoſita? Quid ſimile tentaſſe videtur p. 81., dum inquit. *Ex alia obſeruatione facta in lingua vitulina cocta à nobis deprehenditur aliud corpus diſtinctum à muſculari ſubſtantia linguæ è quo prodeunt corpuſcula papillaria, &c.*; hoc enim corpus, quod à ſe deprehenſum dicit, in illa ipſa, quam ibi examinat, Præceptoris tui *Epiſtola de Lingua* iam clarè, diſtinctèque deſcriptum fuerat ſub nomine *Corporis Papillaris*. Vnum poſtremò vice omnium, quos poſſem hìc adducere, proferam locum: quem etſi ex qua pagina tibi potiùs citem, non ſcio, cùm ab iſto homine, qui vehementer eo ſibi placet, diuerſis in paginis repetatur; vide tamen p. 140. vbi ait --*fibris muſcularibus aut choroidis, aut vueæ, quas nos primùm deteximus*, aut vide in p. 592. --*minimis muſculis ad compoſitionem oculi internam concurrentibus, qui ſunt multi in tunicis, ſcilicet in vuea, & choroide, quæ muſculares ſunt, ſicut & proceſſus ciliaris, quemadmodum ſæpè obſeruauimus, & confirmauimus (prædictos muſculos à nobis detectos in noſtra Ophtalmoſcopia deſcribemus, & nouis figuris demonſtrabimus, ac in eadem apparebit oculum moueri inſtar tubi optici)* Quis hæc legens credere vnquam poſſet; ſi aliunde neſciret; Bartholinum in *Specimin. Hiſt. Anat.* p. 112. iam ſcripſiſſe, *Mobilis eſt vuea, --quia reuera fibris carneis donata eſt*, & ante ipſum Drelincurtium, vt videre eſt in Biblioth. Anatom. T. 2.

p. 191.

p. 191. hoc docuisse, scilicet quòd *Ciliaris tunica non, vt creditum est, membranaceum reuerà est corpus, at potiùs mirabilis textura minutorum musculorum, &c.* quod etiam fusiùs pag. antecedenti edocet, & demùm Bohnium in *Circulo Anatom.*, vbi *de Visione*, hæc habere. *Chrystallinus staminibus Nexûs Ciliaris, tamquam totidem exiguis musculis annectitur*, & paulò infra *Ligamentum hoc stamineum processus quidam tunicæ choroidis est, quam musculosam Recentiores obseruarunt*: quem locum, ne alios aliorum proferam, hìc adduco. Quod verò attinet ad variam hanc humorum oculi motionem pro varia rerum visibilium distantia, necnon istam tubi optici paritatem, quam alibi fusè explicat, & fusiùs se explicaturum aliàs, promittit; an expectas, Antonine, vt etiam dicam, quorum hæc sint? Sed ego, quòd homo iste adeò vulgata, adeò communia pro suis venditare non dubitet, nihil obstupesco, nihil miror; cùm multò anteà ex eius Opusculis hoc ipsi consuetum nouerim, præcipuè ex eorundem p. 339. vbi sententiam quandam de causis lactificationis certè à *Bibliotheca Anatomica* Collectoribus anno 1685. propositam, atque ideò omnibus iam communem, ipse anno 1696. in *Prima Scepsi* pro coniectura propria exhibuit; Illud verò vnicè miror, quòd qui tales, quales ego tam facilè produxi, Authorum locos, aut non aduertit, aut expilauit sciens; idem Clarissimos Viros in Authorum lectione modicè versatos passim vocet, eorumque furta se toties, & indagare profiteatur, & reuelaturum esse, minetur.

IV. Sed transeamus, Antonine, ad aliud errorum genus, quod pariter, vt mihi quidem videtur, indignè Præceptori tuo multis in locis obiectum est, hoc nempe, quòd propositiones aliquot nimis præcipitanter, & liberè, vtputa vniuersaliter, aut veluti indubiè protulerit, quæ nonnisi particulariter, aut dubiè proferri po-

tuiſſent. Itaque p. 6. hæc obijciuntur. *Inter glandulas conglomeratas nonne quadam reperiuntur, quæ proprio excretorio vaſe priuantur, vt thymus, lienares (ſi quæ ſint) ad plexum &c.? quamuis de Hepate cap. 5. Antagoniſta ſcri-„ pſerit, hoc eſſe glandulis conglomeratis ſolemne*, „ vt pro-„ prio excretorio vaſe polleant „. At ego (ne ad alias modò rationes digrediar) *ſolemne eſſe* pro ſolitum eſſe; non verò pro perpetuum eſſe, & accipi, & eſſe accipiendum, putabam: neque profectò eo in loco opus eſt aliter explicare Præceptoris tui mentem; cui nempe illud tantummodò ſufficit, quòd ea res vtplurimùm ſit Naturæ conſueta. Porrò illud in adducto loco animaduertas, velim; quod poſteà in pluribus indicabo: iſtum nempe hominem, dum aliorum præcipitantiam probare conatur, ipſum interim ſcribere, Thymum, & Succenturiatos Renes *proprio excretorio vaſe priuari*, eadem ſcilicet præcipitantia, qua aliquis, antequàm innoteſceret, an pancreaticus ductus reuerà exiſteret, necne, pancreas proprio ductu carere pronunciauiſſet. De quibuſdam alijs Præceptoris tui locis modò adducto ſimilibus; in hoc tamen libro acriter reprehenſis, nominatim de vno, qui tota penè *Mantiſſa*, vbi *de Microſcopij vſu*, &c. indignè traducitur, hoc nempe. *Si debita methodo microſcopijs vtamur, nulla profectò ſuccedit deceptio*; de hoc, inquam, alijſque ne vnum quidem verbum hìc faciam; maximè cùm fieri poſſit, vt antequàm epiſtolam abſoluam, nonnulla circa eoſdem locos alia occaſione perſcribam. Illud tantummodò hìc non tacebo, quòd homo iſte, qui *prædicari in quid*, *prædicationem genericam in quid*, aliaque ex ſua iſta logica barbarie nobis effutit; hoc meliùs poterat meminiſſe: *interdum* nempe *terminos communes accomodè accipi*: quod certè ſi ab vllis ſæpè fit; fit potiſſimùm à Medicis. Sic Cardanus *in Aphoriſm. S.6. A.* 55. *cùm dico nullam, aut omnem, intelligo*, inquit, *modo medi-*

medico, non geometrico; neque enim negauerim in centum vnam, aut alteram, &c. Meminit tamen aliquando: imò hæc eadem Cardani verba & ipſe neſcio qua occaſione citauit; nihilominùs nunquam hanc regulam in locis indicatis examinandis in vſum voluit deducere; illoſque omnes, non vt medicos loquendi modos; ſed vt conceptiſſimas rigidi alicuius mathematici propoſitiones accepit. Si quæ tamen verba ſunt, quæ ſæpe, & ſiniſtrè, aſperrimaque iſta, & nullatenùs ferenda ratione acceperit; ea ſunt, quæ alio prorſus ſenſu à Magiſtro tuo in ſua *Reſponſ.* ſubinde adhibita ſunt, ſcilicet *procedere à priori, prædicere à priori, deducere à priori, &c.* ad ſignificandum nempe progreſſum, prædictionem, deductionem per rationis adminiculum, & cauſarum conſiderationem à Rationalibus Medicis habitas, quatenus ab illis diſtinguuntur, quæ à vulgaribus Empiricis, cœca tantummodò experientia duce, inſtituuntur, atque habentur; Illa enim verba, vt iam in Opuſculis, ſic in toto hoc Vigiliarum libro noſter ita explicat, quaſi *deducere à priori* dictum omnino fuerit pro deducere demonſtratiuè, & cum cauſarum omnium cognitione vſque ab ipſis primis principijs, &c. Quò fit poſteà, vt mille abſurda nullo (nam quiſque ita poſſet) negotio in malè explicato Authore oſtendat, contradictiones nempe, malas illationes, & potiſſimùm inſignem quandam inconſtantiam, dum, vt ipſe inquit, Vir ille, qui omnia probabiliter ſemper deduxerat, repentè omnia in hac ſua *Reſponſione* deducere audet demonſtratiuè. Ego verò vehementer miror, Antonine Doctiſſime, iſtum hominem non vidiſſe, tam crebra, tam grauia, tam noua in tali Authore, & incredibilia penitus abſurda, quæ iuxtà hanc ſuam illorum verborum acceptionem oſtendit, ea ipſa quemlibet monitura eſſe, atque adeò perſuaſura, iſtam ſuam explicationem impropriam, ſiniſtram, iniquam omninò eſſe

reputandam. Et sanè cum Præceptor tuus inquit p. 353. eiusdem *Responsionis*, Hippocratem particulares historias conscripsisse, vt inseruirent pro exemplo, & inductione vel saltèm *probatione à posteriori* illius, quod *procedens à priori docuit in alijs suis libris de Medicina*; quis credat, ipsum censuisse, quòd in talibus libris Hippocrates demonstratiuè processerit? Similiter cùm p. 293. oportere, ait, eundem Hippocratem *à priori processisse in cognitione*, & in huius rei confirmationem admonet, eundem de Pythione scripsisse *Probabile, multitudine vrina sanatum*, de Hermocrate verò *Probabile, secessibus suppressis vigesima septima mortuum*; nemo herclè vnquam existimabit, per talem *processum à priori* eo in loco aliud intelligi, quam processum per rationalem quidem causarum considerationem institutum; sed tamen probabilem tantummodò, verisimilem, coniecturalem; nemo, inquam, processum verè demonstratiuum intelligi, existimabit, nisi homo ille noster, qui p. 271. id firmiter adeò censet, vt hunc ipsum locum carpat eò, quòd ad confirmandum, Hippocratem *à priori processisse*, ex obliuione, aut ex malè inferendi consuetudine, vt ipse credit, probabiles propositiones ex eodem Hippocratæ adductæ sint. Constitisse igitur sibi, suisque omnibus Operibus in sua *Responsione* Magistrum tuum, & laudabiles, non verò præcipites propositiones scripsisse, quotiescunque in Re Medica *procedere se à priori*, professus est; omnes concedent, Antonine, qui verba illa sic accipient, vt ex adductis non solùm; sed ex alijs plurimis eius locis accipienda esse, constat; vtque alij ante ipsum Medici iamdudum acceperunt. Nam cùm inquit Cardanus, *Medicum debere credere euidentibus signis potiùs, quàm rationibus persuasiuis, & à priori*; num existimare debemus, quòd ille *rationes à priori* pro rationibus geometricè, & verè demonstratiuis acceperit; annon potiùs pro coniecturalibus

tan-

tantùm,& probabilibus? & hunc quidem Cardani locum, qui in *Vigiliar*. p. 315. refertur, & p. 319., eadem, qua à nobis, ratione explicatur; potiùs quàm alios magìs luculentos, & magìs mihi perſpectos adducere hìc volui, vt ex iſto, coniuncto maximè cum alio eiuſdem Authoris loco, quem pariter in eodem *Vigiliar.* libro citatum, nos paulò anteà retulimus; facilè poſſis animaduertere, homini huic noſtro non cognitionem eius modi, quo certæ Præceptoris tui propoſitiones accipiendæ erant, defuiſſe; ſed voluntatem, atque animum. Quò fit, vt ne duæ quidem paginæ illius libri ſinè magno ſtomacho, atque indignatione legi poſſint; paſſim enim ad Oculatiſſimi illius Viri præcipitantiam, vbi nulla eſt, oſtendendam, imò indignè traducendam illam cognitionem diſſimulat; niſi tamen, vt eſt contentioſus, contra illam ſibi notam conſuetudinem, omnia Medicorum verba geometrico rigore accipienda eſſe, contendat. At ſi mihi vnquam cum iſto homine de hac re diſputandum foret ita cum eodem agere vellem. Hoc concedam tibi, quod nunquam tamen eſt concedendum: Medicorum verba omnia ſeuerè, & rigidè accipi oportere. An idcircò exiſtimas, victorem te hac in parte eſſe diſceſſurum? An ignoras, *Opera* hæc *Poſthuma* (in his enim potiſſimùm præcipites propoſitiones animaduertere te, dicis) ab ſuo Authore ſubſeciuis horis hìc illic conſcripta in poſteriori epiſtolarum quarundam parte, non opus ſaltèm ſemiperfectum; ſed chartarum, chartularumque confuſarum faſciculum, ab eodem relicta eſſe? An neſcis, eundem, antequàm vltimum obiret diem, enixè commendaſſe, vt ſi cui vnquam res inibi ſcriptas in publicum emittere libuiſſet; magnos quoſdam hiatus, & lacunas inter ſcripta verba paſſim occurrentes, in quo quæque occurreret loco, relinqueret? quod quidem doleo, non fuiſſe posteà ſeruatum. Nunc ergo, antequàm

quàm verba ipſius omnia ſeuerè, & rigidè interpretere; illud mihi reſpondeas, rogo. Annon putas, Studioſiſſimum Authorem, ſi hæc *Opera* perficere ipſe, atque edere potuiſſet, nullum verbum additurum, nullum detractūrum, nullum ſaltèm moderaturum fuiſſe? Num illud dari non poſſe, exiſtimas, vt in aliqua ex illis lacunis mentem ſuam aperuiſſet, & quo ſenſu quodque verbum acciperet, quatenus fuiſſet opus, declarauiſſet? Aut ſi putas, me totum hoc de chartularum faſciculo, & de lacunis tibi fingere; quæ tamen omnia per Ampliſſimos Teſtes probare poſſem, ſi vellem; anne hoc etiam ignoras, iſta *Opera*, Poſthuma Opera eſſe? Cur hìc diſſimulas, quæ alibi vltrò inculcas; alienis manibus hæc *Opera* indiguiſſe? Speciatim ad *Reſponſionem* quod attinet, cur in prima ſtatim Apologiæ tuæ pagina, imò in Præfatione ipſa diſſimulas, te hoc ſcire, quod Londinenſis Impreſſor, quod Petrus Regis, quod Collectores *Bibliothecæ Anatomicæ*, quod ego, quod cæteri etiam longiùs diſſiti certò iam ſcimus; quidquid nempe ex illa *Reſponſione* ab Authore relictum eſt, hetruſco tantum ſermone ſcriptum fuiſſe? An quia latina verſio; vt ego varijs in locis animaduerti; minùs moderatas, magìſque generales exhibet propoſitiones, atque adeò aptiores tuæ reprehenſioni, qua præcipites appellas, & nullo vnquam modo defendendas? Quæ res eò minùs ferenda eſt, quia non tantùm latinam verſionem, quaſi legitimum Authoris textum paſſim impugnas; ſed cum quatuor omninò hucuſque prodierint eiuſdem verſionis editiones, quarum duæ, Londinenſis ſcilicet, & Veneta ab hetruſco exemplari, atque adeò ab Authoris mente magìs diſtant; reliquæ autem duæ magìs emendatæ, Amſtelodamenſis nempe, & Geneuenſis, paulò minùs recedunt; tu ſemper ex prioribus illis, minùs ſcilicet caſtigatis, adducis verba, quæ nimirùm tanto faciliùs impugnes;

harum

harum verò posteriorum, quas ad tuas manus peruenisse, & in Opusculis, & alibi confiteris; grauissimas fingis emendationes ignorare. An fortè opinatus fueras, hæc omnia posse latere, & quemadmodùm illa tu dissimulas, ita omnes fore dissimulaturos? Quinimò omnes (mihi crede) Viri docti, atque prudentes, cùm quantum perfectioni huius Operis per Authoris mortem, quantum per aliorum incuriam, quantum per tuas istas dissimulationes deficiat, animaduertent; tum si quæ erunt propositiones, quæ rigidè, & seuerè accipienti minùs castigatæ videri possint; quando etiam tibi, vt ego facio, concederent, Medicorum verba omnia summo cum rigore explicanda esse; non proinde vnquam, vt tu contendis, præcipitem Authorem appellabunt: & culpam in ipsum nunquam; sed in eius mortem, in alios, in te ipsum reijciendam censebunt. Nunc ad tua Scripta examinanda veniamus, cui omnia Medicorum verba seuerè, rigidè, geometricè; vt verbo dicam; ea qua tu accipis, ratione accipienda esse concessimus. Certè hæc tua Scripta neque posthuma, neque adhuc imperfecta, neque te inscio typis mandata, neque demum versionibus corrupta sunt; cùm post multorum annorum limam tu ipse in publicum emiseris, neque adhuc aliquis (puto quidem, ne rem ingratam tibi faceret, qui versionum labores improbas) in aliam linguam illa conuertere ausus sit. Et primùm, vt à re leuiore incipiamus; ad has ipsas, quas commodùm dicimus, versiones quod attinet, earumque cum exemplaribus coniunctam editionem; nonne in calce Præfationis tuæ credis, per certa, quæ ibi adducis, fundamenta *posse firmiter demonstrari similem laborem esse negotiosissimam vanitatem*? Nonne etiam paulò anteà scripseras p. xxxix. *præter Empiricam cognitionem, ferè nihil aliud habemus quàm verba -- quod in nostris Dissertationibus demonstratum est*? cui affine est,

quod

quod dicis p. 638. *Ad euidentiam vsque probavimus in nostris Opusculis medicos maiores, & meliores Empiricè curare.* Item nonne p. 624. *Hæc sunt ità certa*, ais, *& euidentia, vt nullus remaneat dubitandi locus, quemadmodùm etiam euidentissimum est, post inuentionem, & vsum microscopiorum, tot absurdas opiniones natas fuisse, vt plurima portenta hodiernis diebus hospitentur, & nutriantur in scholis*; p. verò 411. *Modus actionis non debet sciri à Medico curante, vt rectè curet, quod aliàs à nobis demonstratum est*; & p. 284. *Nostra conclusiones sunt demonstrata*; in fine autem Præfationis Opusculis præfixæ nonne res *ita probatas* in tua hac Apologia communicaturum te esse, polliceris; *vt nullus superesse posit dubitandi locus*? & ne longior sim; nonne p. 454. *Vigiliarum* hæc scripsisti? *Omnia animalia generare oua, & habere ouaria, etiam quæ viuipara communiter nuncupantur, &c. falsum esse demonstrauimus in nostris Dissertationibus de Generatione Viuipara editis*. Hæc ergo omnia verè, & geometricè demonstrasse te, affirmas. Sed; vt priora omnia, quæ longiorem poscerent indaginem, omittamus; quomodò hoc vltimum demonstrasti; si tu ipse *Dissertationes* has tuas *Scepses sinè Dubia*, inscripsisti, & si in calce Opusculorum nondum id demonstrasse te, ostendis, dum *in eandem arenam alia vice descendere arbitraris non scepticè*? Fac etiam, illas *Dissertationes* Scepses à te inscriptas, & reputatas non esse; an demonstrationes appellas in illis edita argumenta, quorum quæ putas validiora, dispeream, nisi stans pede in vno omnia dissoluerem, aut quarundam auium adducta paritate, aut alia; si id necesse arbitrarer; ratione. Age verò, hoc etiam vide, qui præcipites alios appellas; quanta nempe præcipitantia *quotidianam experientiam* voces rarum illud vitium geminatæ visionis, quod pagina 625. adducta ex Foresto obseruatione, designas; quantaque securitate p. 85. scribas; *Totum corpus in qua-*

libet

libet particula est sensibile; aut in Præfat. p. xxxix. *Medicina nostris diebus est Empirica, semper fuit, & semper erit talis, nisi fiat cælum nouum, & terra noua*, quibus similia inculcas passim; præsertim verò pag. 256. 277. &c. Vide etiam, an tu scripseris hasce propositiones. De Pleura vesiculari pag. 49. *eiusdem casus omnes Doctores ex Cordæo meminerunt*. p. 416. *Vniuersi libri antiquorum de palpitatione, syncope, concretionibus circa cor* (idest polypis) *aneurismatibus loquuntur, & meliori ratiocinio, &c.* p. 306. *Praxis euellendi tumores vna cum sua cysti, & folliculo -- anteactis seculis semper fuit cognita*. p. 279. *Aliter sentire, est sentire contra omnes*. & in Opusculis p. 179. *Quicunquè medentur nobiscum sunt*: quibus propositionibus non minùs sunt vniuersales quatuor, vel quinque, quas, vnam post aliam, scribis, p. 36. vbi scilicet corticalem cerebri substantiam ex minimis glandulis constare non posse, contendis, de quibus omnibus vt sileam; certè hanc vnam prætermittere non possum. *Nunquam suppositi folliculi inuenti sunt sebaceæ materiæ pleni, quando ceteræ humani corporis glandulæ consimili materia infarciuntur*: quod quanta præcipitantia scripseris, ostendunt eorum cadauera, in quorum cerebro ijs in locis, in quibus corticalis substantia non deest, *sebaceæ glandulæ* repertæ sunt tunc etiam, quando cæteræ extra cerebrum glandulæ bene erant constitutæ; qualem historiam in *Miscellan. Natur. Curios.*, & rursus in *Sepulchret. Anatom.* secundæ editionis legisse memini. Iam verò mittamus, si vis, has propositiones; Pag. 50. *Valdè etiam notandum est Antagonistam confudisse fibras cum fistulis, ac si in rerum natura fibra possit esse fistulosa*. pag. 628. *Præparatio, & dispositio* partium -- *est impossibilis -- in anatome bombycis, & aliorum insectorum, &c.* p. 482. *est impossibile ex cognitione æconomiæ plantarum consequi notitiam æconomiæ animalium*. Mittamus etiam istas, quamuis non minori securitate con-

ſcriptas, propoſitiones; P. 626. Microſcopio *ſuppoſuimus in aprico loco ſabulum noſtrum commune, ſeu arenam noſtram fluuiatilem exiccatam, quæ apparuit alba, lucida inſtar ſalis purificati, quas conditiones à microſcopio recipere nos non dubitamus*. p. 509. Valuulas *natura in pilis nunquam excitauit*. p. 103. *materia polypi non eſt ſuppurabilis*. & paulò ante p. 102. *Iudicia ex emiſſo cruore deducta, & ad phænomena in corpore translata nullius eſſe roboris -- indubitanter debet concedi*. Mittamus, inquam, hæc omnia. At quis vnquam illud poterit omittere, quod pag. 353. adeò præcipitanter ſcripſiſti? Poſtquàm enim plurima Anatomica Inuenta in *Poſth. Reſponſ.* pag. 322. & 323. diſtinctè enumerata, atque deſcripta recenſuiſti, inter quæ; vt alia ſileam; Venæ Lacteæ, & earundem progreſſus, ſiue Ductus Thoracicus, Parotidum Vaſa, ſiue Ductus Saliuales Superiores; imò ipſa Circulatio Sanguinis enumerantur, & deſcribuntur; hæc inter cætera addere non dubitas: *ſemper negarem, tot ſuppoſita inuenta, quot ſunt deſcripta, & alia plura medicinæ practicæ inſeruire*. Verùm, ſi benè te noui, contendis, in iſtiuſmodi verbis præcipitantiam nullam eſſe; quinimò iam me derides, quòd eadem præcipitanter ſcripta cenſuerim; negaſque, me poſſe vllam rationem adducere, cur ità iudicauerim. At nunquam tamen ſic induces, vt vllam rationem in medium proferam in re tam perſpicua, & luculenta. Nam quod attinet ad Sanguinis Circulationem; ne putares, per ea, quæ in vno ex tuis Opuſculis congeſſiſti, rem dubiam factam eſſe, ſic vt opus ſit vtilitatis, quas eiuſdem Circulationis notitia in Medicam Praxim contulit, nouis argumentis hìc comprobare. Quis enim ignorat; vt alia omnia prætermittam; num ante Harueum (quod ipſe ais) religioſior ille in phlebotomia inſtituenda Venarum delectus à Clinicis exploſus fuerit; an verò potiùs ſolicitos eoſdem habuerit, & quandoque etiam,

ſaltèm

ſaltèm per accidens, ægros malè mulctauerit vſque ad euulgatam non ſolùm, ſed ſub oculis, & manibus iam poſitam Sanguinis Circulationem? Licet enim Recentiores Medicos (quod in ſimilibus occaſionibus paſſim ſoles) ingrati animi inſimulare non dubitaueris, quòd hanc vtilitatem Euulgatori Circulationis Sanguinis potiùs, quàm tuis neſcio quibus Antiquis acceptam referant; omnes tamen vident, aliud eſſe, probabili aliqua ad ſummum ratione aliquam rem indicari, quæ à Medicis communiter non acceptetur; aliud verò, eandem rem per euidentem, & quæ non tantùm ſuadeat, ſed cogat, rationem pateſieri, atque adeò à Medicis communiter acceptari, & in vſu poni. An verò illud etiam petis, vt Ductus Thoracici, aut Ductuum Saliualium ſitum verè, & ex toto deſcriptum, practicis inſeruire poſſe, oſtendam? Non faciam id vnquam, ſi ſapio. Quid enim? Dicamne; quòd modò ſi per vulnus Thoraci inflictum candidum laticem profundi obſeruemus; quid de ægro futurum ſit, & cognoſcere, & prædicere poſſumus: quod aliàs ignoraſſemus? aut quòd ſi chirurgicum ferrum genis fortè ſit admouendum, optimè nunc ſcimus, quale ſpatium vulnerare impunè queamus; qualemque tractum, & quantum ſinè turpiſſimæ fiſtulæ periculo, ferro incidere non poſſimus, aut alia, quæ cùm vel ipſi Medicinæ Tyrones à probè cognito Thoracici, & Saliualium Ductuum ſitu prouenire, non ignorent; eſſem mihi, & tibi iniurius, ſi dicerem? Cùmque ijdem Tyrones nouerint, an aliquis ſaltèm enumerandorum modò Scriptorum vllum Clinicis lumen attulerit; ſine, vt abſque vlla, quæ & me, & te ſit indigna, ratione præcipitem hanc etiam propoſitionem appellem, quam pagina 137. protuliſti: *Obſeruationes Regneri de Graaff, Antonij Nuch, Nicolai Stenonis, Antonij Leeuwenhoeck, Gliſſoni, Warthoni, Ruyſchij, Io. Van Horne, Swamerdami,*

Peyeri, & aliorum multorum philosophiam naturalem illustrant, non praxim medicam; necnon illam alteram, quam contra antiquiores Anatomicos in Opusculis iam protuleras p. 84., *Multi, & multi lapsi sunt anni, quibus floruerunt Fallopius, Vesalius, Eustachius, Casserius, Fabritius, & alij æternum memorandi Anatomici, qui suis laboribus, & obseruationibus rem Anatomicam locupletarunt, & nihilominùs praxis Medica tot annorum cursu nihil profecit -- & tamèn tempore præterito non colligebantur minutiæ*; & cùm multò magis sint obuiæ, & ante omnium pedes positæ illæ rationes, quas circa propositionem, pag. 568. à te prolatam, afferre possem; sine, vt eandem, absque vlla adducta ratione, præcipitem non solùm vocem; sed clamem, hanc nempe: *Nemo poterit dubitare de alia propositione, quam nos proposuimus videlicet anatomiam minimam non esse necessariam ad medendum; immò neque crassiorem*: quæ propositio cum satìs præceps videri potuisset; si minimam tantùm anatomen esse necessariam ad medendum, negasset; quantò magìs inconsiderata censeri debet, quòd & anatomen crassiorem esse ad medendum necessariam, neget, & neminem de hac re dubitare posse, affirmet. Intelligo, quid mussites; at ne adeò commouearis. Noui (mihi crede) noui, inquam, & probè calleo & tua supposita, & tua argumenta, & istorum omnium infirmitatem; quare ne quid reponas, si sapis; & absque eo quòd alia tua dicta nunc agitem, absque eo quòd aliquam lippis, & tonsoribus notam adducam rationem, sine, me illam propositionem, præcipitem vocauisse. Si quæ verò sunt tua verba, quæ inconsideratè, & præcipitanter nimis effutita permittere debes, vt iudicem, absque eo quòd vllam iudicij mei rationem producam; illa sunt, quæ passim tam liberè, tam generaliter, tam securè contra *Posthumi Operis* Authorem, eiusque Scripta vniuersa deblateras, qualia sunt pag. 611.

Ad-

Aduerſarius noſter in omni ſuo Opuſculo ita ſe geſſit, „& „*velut fluctuans circumlatus eſt omni vento doctrinæ*„. p. 53. *Noſter Aduerſarius ſemper cum defectu loquebatur*. p. 338. *Valeant commenta noſtri Antagoniſtæ quæ ſemper peccant, tum in obſeruatione, tum in ratiocinio*. p. 607. *Tam in Dendranatome, quàm in Zootomia, & in alijs Opuſculis tot paradoxa, quot opiniones propoſuit, ſed quod maximè feſtiuum eſt, hoc eſt, quod nunquam* . . . . At cætera verba, multoſque alios prioribus conſimiles locos exprobrare me pudet. Nunc igitur, quando iam vides, qui, quotque loci ex tuis Scriptis produci poſſint, in quibus nimis ſecurè, nimis generaliter, nimis præcipitanter te geſſeris, atque adeò abundè intelligis, quàm variè, quàm vehementer, quàm verè tuum illum plùs quàm cenſorium in aliorum propoſitionibus accipiendis rigorem, & intolerandam ſeueritatem agitare, vexare, perſtringendam omnibus præbere poſſem; non faciam herclè; ne timeas; non faciam id vllo modo; tantùm, vt in poſterum mitiùs agas in aliorum verbis explicandis, monebo, vtque diligenter caueas, ne cæteri id interim faciant, quod ego facere prætermitto.

V. Nunc ad te redeo, Antonine Virorum optime, qui nihil miraris, opinor, quòd, vt meus me calamus tulit, Epiſtolam repentè in declamationem mutauerim, aut quòd iuſtæ epiſtolæ terminos non ſolùm iam exceſſerim, ſed adhuc videar longè ampliùs eſſe exceſſurus; ſic enim tu quoque ſoles mecum agere, vt quodcunque in ſcribendis litteris facere contigerit, aut placuerit, ſpretis iſtis, quæ in elaboratis, publiciſque epiſtolis ſeruantur, legibus, ſumma cum libertate id facias. Itaque; vt inſtitutum perſequar; ſubit ad aliud errorum genus conſiderandum venire, eorum nempe, qui in Authorum mentem non bene percipiendo, ſiue non intelligendo committuntur: quales quidem errores ſinè vlla ratione Præ-

ceptori

ceptori tuo pluribus in locis obiecti sunt. Paucissimis autem me expediam ab ista re; cum sufficiat locos tantùm proponere, vt id absque vlla ratione obiectum esse, cognoscatur. Scribitur enim in Præfationis pagina v. *Obnoxij animi, & infelicis ingenij esse deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere, &c. quibus immediatè Plinius adiungit, cum præsertim sors fiat ex vsura, quod Plinianum assertum, vel nunquam legit Antagonista, & hoc nos non credimus, vel legit, sed de industria praxin omisit, vel non intellexit*; Quo in loco; vt vides; est opus potiùs iniuriam retorquere, quàm obiectionem diluere. Pariter, si plures *Vigiliarum* loci intimiùs obseruentur; videri potest Magister tuus terminum *à priori* non intellexisse: quod iure, necne videatur, ex illis, quæ superiùs scripsi, abundè cognoscis sic, vt præstet ad illud alterum ostendendum transire; Vt scilicet homo iste, qui in alijs hoc vitium iniurià deridet, ipse interim in idem vitium tum euidenter, tum longè frequentissimè prolabatur. Quod vt breuiùs absoluam; eos tantùm locos producam, in quibus ille Præceptorem tuum, quem ex professo impugnabat, non intellexit; cæteros autem, in quibus alios Authores, quos obiter, aut ad mentem suam comprobandam adducit, minimè intellexit, vniuersos prætermittam. Inprimis autem memineris, me aliud agentem, ostendisse statim sub initium huius epistolæ, duos Magistri tui locos non bene fuisse ab isto homine intellectos; quos proinde, & consimiles hìc non repetam. Adducam quidem hìc locum, quem iste exagitat p.361. quemque vbi duos illos priores attuli, fortasse alibi me examinaturum promisi, hunc nempe, qui in *Posth. Resp.* occurrit p. 325. *Di più osseruo, che li mali portati dall'autore della lettera sono communi ad altre parti, e che non constituiscono immediatamente la lesione dell'operazione, ch'è propria della parte. Le ferite, l'vlcere, le ostruzioni, li*

can-

cancri, le infiamazioni, & i scirri sono proprij di quelle parti, che hanno fluidi, e vasi: sicchè per generarsi non è necessaria l'offesa dell'operazione, &c. Hanc vniuersam doctrinam non esse; vt in *Vigilijs* obijcitur; extra locum, eandemque adeò non bene intelligi, hìc mihi esset ostendendum; At quoniam sentio, me id facere non posse absque eo quòd multa alia hìc transcribam verba & ex *Dissert. de Recent. Medic. Studio*, & ex ipsa *Posth. Respons.*, tu ipse per te hoc videbis; comperiesque, vt spero, ideò hanc doctrinam extra rem fuisse iudicatam, quia sensus illorum verborum, *non constituiscono immediatamente la lesione dell'operazione, ch'è propria della parte*, non probè fuit intellectus. Aliud interim, quod in ipso hoc loco non bene intellectum fuit, breuissimè indicabo. Scribitur enim in eadem p. 361. *Insuper se obseruauisse ait morbos à nobis relatos communes esse alijs partibus -- Sed nimis magnificè loquitur de se ipso; omnes obseruauerunt, non ipse solus, morbos enumeratos in nostra Epistola esse communes*; Et tamen illa verba *Di più osseruo* (si benè contextum, & responsionis vim attendas) præterquamquòd nil aliud important, quàm Hoc etiam considero. Hoc etiam aduerto; consideratio ista, vel, si mauis, obseruatio non est super hoc, quòd morbi in epistola relati sint communes; sed quòd morbi communes, atque ideò minùs ad rem facientes, eo in loco relati sint. Nec verò meliùs intellectus est alter Præceptoris tui locus ex *Dissertatione de Polypo Cordis* p. 311. petitus, hic scilicet. *Plura didicit præsens hoc sæculum insecta, pisces, primaque, & rudia nascentium animalium stamina lustrans, quàm anteactæ priscorum ætates circa sola perfectorum corpora solicitæ*; Statim enim post hæc verba subiungitur in *Vigiliarum* p. 100. *quæ verba ostendunt Antagonistam ludere, & pudor est antiquos Authores cumulare, & recensere, qui de insectis, piscibus &c. scripserunt, cum sint vel ipsis tyronibus notissimi*;

qui-

quibus alia etiam peiora adduntur. Verùm quis non videt, ea Præceptoris tui verba insectorum, & piscium historiam, aut qualemcunque eorum anatomen non respicere, sed anatomen subtiliorem, & hanc quidem ad finem comparandi eorum viscera cum perfectorum animalium visceribus institutam? Nunc; vt ad maiora deueniam; nil dico de quadam circa vsus cerebri *relatè* ad eiusdem anatomen propositione, quam, vt verè suam, sibi vindicauit in *Responsione* Præceptor tuus; tametsi multa dicenda essent; quoniam noster ille homo, minimè aduertens, illam vsuum cerebri ad eius anatomen relationem, & de sola vsuum difficultate intelligens, tota p. 364. non cessat adducere complures textus Willisij de sola vsuum, aut anatomes difficultate loquentes, & quorum aliqui oppositum potiùs, quàm intentum subindicant; tùm prolato anno, quo Willisius sua edidit, & quo edidit Magister tuus, postquàm ratione subducta, biennio hunc posteriorem esse, monstrauit; rem totam se confecisse, credens, hunc protinùs; sed qua alibi ostendi, veritate; *Æsopicæ cornici* assimilat. Memini, Antonine, cùm aliquando tibi narrarem, Viros huius ætatis Præstantissimos in eum errorem incidisse, vt Strias pinguedinosas, quæ sanguinea Omenti vasa complectuntur, idem esse quod Vasa seu Ductus Adiposi crediderint; præstare te fidem narrationi meæ noluisse, vsque dum prolato eorum libro, errorem digito demonstraui: adeò clarè, & perspicuè in *Exercitatione de Omento* Striæ ab Adiposis Vasis longè distinguuntur. Quid ergo nunc dices; si tibi narro, hominem hunc nostrum, qui illam *Exercitationem*, vt impugnaret, nocturna, diurnaque manu protriuit, in eundem prorsus errorem non solùm incidisse; sed magnam obiectionum suarum partem eidem errori, ceu fundamento, superstruxisse; tum illas adeò validas existimasse, vt *nudis etiam oculis propugnatam*

gnatam

gnatam (ita ipse credit) *veritatem obuiam omnibus fieri*, asseueret, seque Danieli Tauvry ob vlteriorem dictorum Vasorum confutationem anteponendum esse, moneat? Et tamen ita omnino est, vt ego dico: Quid sint Vasa adiposa, intelligere nesciuit; Et tu ipse hæc omnia in *Vigilijs* per te comperies p. 60. & 61. Antequàm duo alij consimiles huius hominis loci mihi excidant; sine, vt eosdem hìc tibi indigitem: quanquam enim proximè allato sunt leuiores; nullo tamen modo mihi videntur prætermittendi. Alterum inuenies p. 110. vbi in illa verba in *Differt.* de Polyp. Cord. pag. 318. occurrentia, *probabile est, pulmones corpuscula quædam, quæ antiquitùs brutalium animarum portiones credebantur, cribratione facta pertranseunti sanguini commiscere*, in illa, inquam, verba hæc, & multa alia similis farinæ, scribuntur; *Hæc eruditio malè refertur, quoniam antiquitus Philosophi crediderunt, si non omnes, saltem plurimi aerem non esse portionem animæ brutalis, sed ipsam animam brutalem.* Posset fortasse ad hanc censuram alia ratione responderi. Ego tamen dico, impugnata verba non bene intelligi. Etenim per ipsa non asseritur, aerem creditum esse animæ brutalis portionem; sed corpuscula, siue particulas ipsius aeris, eiusdem animæ creditas esse portiones. Si autem aerem ipsam animam esse, credebant; aerem verò diuisibilem esse, idest ex pluribus aereis partibus, siue portionibus constare; nonne portiones aeris, quas nos vocamus corpuscula, animæ portiones esse credebant? Alter locus occurret tibi p. 14. Cùm enim obscuram Mercatoris Ortelij sectionem ingeniosissimè explicans Magister tuus, iecur à pluribus in Ortelio defuisse creditum, sub specie illius carnis, quæ circa intestina accubabat, verè adfuisse, coniecisset; illud etiam addidit: *& hoc* (nempe hepar) *in opportuniori fortè situ locatum extitisse, vt secreta bilis in intestinum deriuaretur.* (ita enim

legitur in prima editione, cui Author interfuit; non *deriuata*, vt perperàm in Lugdunobataua legitur; sed hoc obiter) Ad hæc itaque vltima verba malè intellecta in citata *Vigiliar.* pagina subiungitur: *quomodo potest dici in opportuniori situ, dum natura communiter eligit diuersum situm?* At eorum verborum sensus non est; vt vides; quòd situs ille absolutè, & ad cætera omnia opportunior fuerit; sed ad hoc tantùm; quòd ibi quidem expressè dicitur; *vt secreta bilis in intestinum deriuaretur.* Verùm ego, quòd aliorum verba non intelligantur, hoc facilè condonarem; illud verò, quòd eadem verba non intellecta, damnentur, irrideantur, publicèque obiurgentur, illud, Antonine, æquo animo ferre non possum; Memineris, cùm nostri huius hominis Opuscula aliquando simul percurreremus, quàm grauiter, & acerbè tulerim, quòd p. 365. eorundem, non intellectus Graafius perstringatur. Cùm enim hic de Tuba Falloppiana scripserit. *Capacitas huius ductus plurimùm variat; in principio enim tantummodò setam admittit, in progressu verò vbi latissima est, auricularem digitum sæpissimè recipit, in fine autem eius coarctationes, siue foramima; modò non dilatentur; quartam solummodò digiti illius crassitiei partem admittunt. Hìc tamen naturæ lusui quidquam concedendum est;* cùmque postrema hæc verba istud significent, scilicet in aliquot indiuiduis naturam, hanc præcisam dimensionem non seruare; noster illa verba sic intelligit, quemadmodùm posteà in *Vigiliarum* pag. 99. quædam alia intellexit verba Præceptoris tui; nempe quasi Graafius de veris, & spontaneis Naturæ ludis, iocisque reipsà locutus esset, & quidem in vno, eodemque indiuiduo; quare argumentum quoddam suum (quod semper tamen per Ouiductus Gallinæ sufficientem paritatem euerti potest) ea re suppositâ in medium producit, &, quod peius est, Graafium propter illa verba redarguere non dubitat *animi*

mì mancipati, & ſcribere, quòd eius *doctrina ludentem potiùs authorem oſtendit quàm natùram*. Si verò ob magnam, qua dignos Scriptores proſequor, reuerentiam, leuiorem hanc, iocularemque reprehenſionem ità ægrè tuli; quàm credis, grauiter, & moleſtè me ferre iniurias, & maledicta, quæ in malè intellectas Præceptoris tui propoſitiones congeri video? Illa enim verba de opportuniori Orteliani hepatis ſitu, quæ non benè intelligi, modò oſtendebam, illa eadem *penitus caſtiganda eſſe dicuntur*. Omitto quæ p. 328. & 329. habentur occaſione quorundam verborum Magiſtri tui de neoterica morborum diſpoſitione iuxta ordinem œconomiæ animalis, quæ cùm pro quacunque diſpoſitione ineptè, & perperàm intelligantur; tum ſatis confidenter redarguuntur. Et hoc tantùm refero, quod de quibuſdam alijs, malè pariter intellectis, Præceptoris tui verbis, in eius *Reſp.* p. 357. occurrentibus, indigniſſimè pronunciatum eſt. Sed primùm hæc ipſa verba adducamus. *Circa poi l'inuenzione de' rimedij non vorrei parere troppo ſtrano all'autore della lettera. Io penſo, che di troppo ve ne ſiano, perche non ſi vedono che prattiche, antidotarij, farmacopee; e ſperimentandoli non vi truouo quella felicità, che viene vantata dalli ſcrittori. Vorrei vno, che li riformaſſe, e li riduceſſe, a pochi, e ſicuri, &c.* Ita omnino Magiſter tuus. Nunc illud abs te peto. Num quando nimia eſſe remediorum copia hìc dicitur; num, inquam, hoc dici putes de veris legitimiſque remedijs à Natura in hunc, vel illum morbum conſultò datis; an verò de illis potiùs, quæ à credulis nimiùm Empiricis perperàm in verorum numerum medicamentorum intruduntur, & ex æquo cum veris, & legitimis recenſentur? Quis dubitet, quin de ſecundis dicatur? Et tamen in hæc verba, *Io penſo, che di troppo ve ne ſiano*, multa, & varia in *Vigilijs* congeruntur, & inter cætera affirmatur, per illam (rectiſſimam, vt vides)

propositionem ipsum *Authorem naturæ reprehendi*, *qui innumera remedia pro sanandis innumeris morbis altissima sua infinita, & incomparabili prouidentia creauit*, & ne omnia tibi referam; concluditur: *Inter temerarias propositiones prædictam reponimus*; vt ipse; si mihi de tam præcipiti confidentia non credis; in *Vigiliar.* p. 478. per te poteris comperire.

VI. Verùm vtinam Præceptoris tui propositiones ob id semper reprehensæ fuissent, quia non bene intelligerentur; illud minùs tolerandum est, quòd frequentissimè ob id reprehendantur, quia non bene referuntur. Sed quoniam hoc vitium alienas sententias consultò alterandi, & malè referendi non vno in loco Præceptori tuo immeritò obijcitur; age, hos locos primùm de more videamus. Porrò cùm in omnibus huiusmodi locis homo ille noster aut alienam, aut propriam suam sententiam alterari, conquestus sit; binos ego ex omnibus, breuitatis causa, locos eligam, in quibus acriùs hoc reprehendat, & in quorum altero alienam sententiam, in altero verò propriam alterari, conqueratur. Itaque p. 53. hæc leges. *Et quoniam noster Aduersarius semper cum defectu loquebatur, opportunum duximus libertatem eiusdem considerare in relatione Historiæ Iacobi Berengarij Carpensis in Tractatu de Fractura Cranij; etenim hic Author non dicit sexagesimo die, vt legitur in Epistola de Cerebro; sed circa „ sexagesimum diem; hæc sunt verba Berengarij:* „ & sic „ circa sexagesimum diem &c. „ *quem locum de industria referimus, vt cauti sint, & moniti in cæteris Lectores.* Quis rogo, ex talibus verbis magnam aliquam libertatem sibi sumpsisse Magistrum tuum, non credat, in historia hac in suam sententiam detorquenda? aut maximi alicuius erroris periculum incautis Lectoribus creasse, non putet? Et tamen neutrum est. Etenim siue legat *circa sexagesimum diem*, siue *sexagesimo die*; parum diuersa Lector

con-

concipit, atque addiſcit; Author verò æquè ſuam rem agit primo modo, atque ſecundo; nam cum eo in loco (p. 117. & ſeq.) probabile eſſe, doceat, à corticalibus glandulis ſecretum ſuccum per medullares fibras defluere, quoniam hac via per morboſam aliquam conſtitutionem interrupta, humorem in cerebro colligi, frequentiſſimè obſeruamus; varias proinde affert hiſtorias, per quas nihil aliud intendit, quàm collecti ibidem humoris exempla adducere; & ſic inter haſce illam quoque ponit his verbis. *Mirabilis extat hiſtoria apud Iacobum Carpenſem, qui in nepote Cardinalis Hiſtrigonienſis capite vehementer vulnerato copioſam aquam in ampla fouea in Cerebri ſubſtantia excitata per vices coaceruatam euacuabat: Sexageſimo autem die huius portio de nouo collecta, & coercita Epilepſiam cum totius tremore, & rigore excitauit; qua euacuata, & conſolidato vulnere æger priſtinæ reſtitutus eſt ſanitati. Quare* (nihil curans, nihil laborans, an id ſexageſimo die contigerit, an verò circa ſexageſimum diem) *Quare*, inquit, *cùm in vulneribus Cerebri paſsim copioſum ſerum recolligi videamus, valdè conſonum rationi videtur, vulnere impediri, & labefactari meatus, per quos eructatum, & cribratum huiuſmodi ſerum vlteriùs propagari debet.* Nunc quoniam ad hunc primum locum quod attinet, vides, quàm verum ſit quod dicebam; ad alterum tranſeamus. In eam partem *Diſſertationis de Recent. Medic. Stud.* vnde incipit Aſſumpti probatio, hæc in *Poſth. Reſponſ.* ſcribuntur iuxta editionum Venetæ, & Londinenſis, quas noſter non ſinè cauſa obſeruat, verſionem. *Suas probationes incipit ab hac concluſione* „ Anatomiæ ſubtilioris cognitio ad arcendos morbos inutilis eſt „. *Hìc aduertenda eſt primæ huius concluſionis varietas, quia primùm,* „ *quod erat probandum, eſt* „ Anatomiam parum aut nihil ſolidiori medicinæ inſeruire „; *modò diuerſis terminis probatur, nempe* „ Inutilem eſſe ad arcendos morbos „.]

bós ,, .] Varietas autem in conclusionibus animaduersa ; vt vides ; in hoc consistit, quòd prima verba *parum, aut nihil solidiori medicinæ inseruire* mutata sunt in hæc *inutilem esse ad arcendos morbos*. Nunc noster in Vigiliar. p. 284. cùm credat (non video ego, ex qua causa) at cùm credat, inquam, varietatem animaduersam consistere in hoc quòd *Anatomia subtilior* mutata sit in *Anatomia*; non solum ait: *Puerilis animaduersio est varietas notata in conclusione primaria, cum eadem sit intentio Anthoris, quando dicit anatomia subtilior ad arcendos morbos inutulis est, ac quando dicit anatomiam parum, aut nihil solidiori medicinæ inseruire, quia sensus est de subtiliori*; sed obseruans, se & primò, & secundò *anatomen subtiliorem* dixisse, quasi verò de hoc ageretur, exclamat: *hìc alterationem detegimus, quia conclusiones non extant in Epistola, vt referuntur*, & rursus, *hìc debemus grauiter conqueri de alterata relatione. Donec argumenta proponuntur, parati sumus audire veritatem, & mutare sententiam, si opus erit; sed quando adducitur id, quod non est, & per saltum colliguntur verba ad deprimendum, hoc vix tolerari debet*. Ego verò in re tam perspicua non inculcabo, quòd sensus etiam in *Responsione* est de subtiliori anatomia; quòd varietas animaduersa longè alia est; & consequenter quòd censura *puerilis animaduersionis*, & tantò magìs *de alterata relatione* querela iniurià omnino habitæ sunt. Ad illud alterum potiùs transibo: Vt videlicet qui indicatis in locis de propriæ, aut alienæ sententiæ mala relatione immeritò conquestus est, verè aliena sensa malè ipse retulerit, ne dicam, alterauerit. Quod tam facile factu mihi est, vt vel illo, quem modò examinabamus, non dimisso loco, possim aggredi ad id ostendendum. Relege; si non piget; adducta ex *Posth. Resp.* verba. Deinde & hæc, quæ Vigiliar. pag. 285. in illa scribuntur, lege. *Hoc modo ludit Antagonista, & qui attento animo leget Epi-*

stolam,

stolam, cognoscet non esse probationes, quæ referuntur ab eodem Antagonista, sed vnicam tantùm conclusionem diuersimodè materialiter expressam, quæ habet suas probationes intrinsecas, & extrinsecas, vti demonstratum est, sicque patet idem per idem non probari; Sed scripta pudet recitare, & nugis addere pondus. Post conclusionem malè relatam, & cum probationibus confusam, &c. Haberem, quid reponerem, & quomodò verba explicarem, tametsi eo modo scripsisset Magister tuus, quo relecta editionis Londinensis, & Venetæ latina verba scribuntur. Sed nego, ipsum ita scripsisse. Nam monentibus me Geneuense, & Amstelodamense editionibus, in quibus non lego *modò diuersis terminis probatur*; sed lego *modò diuersis terminis profertur*; consului hetruscum exemplar; iuxta quod nisi referantur; malè, vt alibi ostendi, Magistri tui verba referuntur, quem nempe hetruscè tantùm respondisse, omnes norunt; & hæc quidem verba in hoc loco inueni, pag. videlicet 302. *Incomincia a prouare il suo assunto, ponendo questa conclusione: Anatomia, &c.* (idest sibi probandam constituendo hanc conclusionem, non verò probando per hanc conclusionem; nam hanc conclusionem pro ratione, & probatione iam non accipi, ostendunt non solùm paulò infra posita verba initium probationum in proximis Galeni authoritatibus agnoscentia, *Passa alle proue adducendo alcune autorità di Galeno*; sed etiam ista, quæ immediatè sequuntur) *Quì bisogna auertire, che la prima conclusione comincia à variarsi, poiche „ l'assunto primo è, che l'anatomia* „ parum, aut nihil so„ lidiori medicinæ inseruiat „; *hora è portata* (non prouata; vt in latinis nostri huius hominis versionibus;) „ *hora è portata con altri termini, cioè* „ Inutilem esse ad „ arcendos morbos.] „ At homo ille noster, quotiescunque hetruscum exemplar suas obiectiones eludere, intellexit (eludit autem persæpè, vt alibi indicaui, &

ex

ex parte mox oſtendam) quæ verba in eodem tuſco exemplari legantur, callidiſſimè diſſimulauit: quod tamen non fecit, vbi ſuis reprehenſionibus exemplar idem magis exponi, iudicauit; ſed tunc verba italica in medium protulit, vt p. 253. ad quem locum examinandum iam tranſeamus. Ne longus ſim; tria vel quatuor omitto, quæ tu, eo loco in *Vigilijs* reperto, per te meliùs intelliges; ſcilicet non bene ibidem percipi Præceptoris tui mentem, & propterea *configendam* cenſeri, adductis tibi neſcio quot concluſionibus ex *Tractatu de Angelis*, quæ nihil ad rem faciunt; Sic paulò ante ob eandem cauſam fruſtra obijci, quòd inconuenientia ſint, quæ ſcribit, & quòd *ſtatum controuerſiæ non intellexit*: Ad hęc, ſic diſiunctim allatis eiuſdem verbis, contextus vim prima ſaltèm facie corrumpi; aliàs enim contextus ipſe veram, eamque laudabilem Authoris ſententiam ab illa, quam noſter ſupponit, longiſſimè diuerſam; dummodò æquis oculis legatur; non minùs italicè, quam latinè patefacit. Omitto etiam, latinam verſionem; niſi multùm fallor; nullam eſſe in qua legatur, *ineffabilem eſſe modum, quo anima vtitur in corpore noſtro in eliciendis operibus*; ego enim ſic mihi videor ſemper legiſſe *ineffabilem eſſe modum, quo anima noſtra vtitur corpore in eliciendis operibus*. Et tantummodò hoc notabo, illa, quæ noſter adeò deteſtatur, verba, *tamen certum eſt, animam in operibus vegetationis, ſenſus, & motus, vi machinæ, cui inſita eſt, neceſſariò agere adinſtar horologij, vel molendini æqualiter moti à plumbeo pendulo, vel à ſaxo, &c.* illa, inquam, verba in editione quidem Londinenſe, & Veneta ſic legi; at longè alio ſenſu, alijſque interpunctionibus ſcriptum primò id eſſe ab Authore: quem porrò fideliùs Amſtelodamenſis, & Geneuenſis verſiones ſequuntur. En ex pag. 292. ipſum (quod referri ſemper debebat) Authoris exemplar. *Sò, ch'è ineffabile il modo, con che*

Vani-

l'anima nostra si serue del corpo nell'operare; è però certo, che nelle operationi della vegetatione, del senso, e del moto l'anima è necessitata ad operare conforme la machina, alla quale è applicata, in quella guisa, che vn'horologio, ò molino egualmente è mosso da vn pendolo di piombo, ò sasso, ò da vn bruto, ò da vn huomo, &c. Non scripsit itaque Author continuatim, *animam nostram necessariò agere ad instar horologij, vel molendini*; sed ista paritas ad corpus, quod ipsa mouet, refertur; & quanquam hoc in loco, nisi mors occupasset, Author, vt ego iudico, paulò clariùs, atque feliciùs mentem suam erat explicaturus; legitimus tamen illius sensus; cæteris omnibus huc non adductis verbis etiam consideratis; hic tandem ab æquis Lectoribus esse inuenitur: Animam quidem nostram mouere corpus modo prorsus ineffabili; corpus autem ipsum ab anima motum; cùm machina sit; non nisi mechanicas operationes, & motiones posse præstare; quemadmodùm horologium, vel molendinum, siue à plumbeo pendulo, siue ab homine moueatur, mechanico semper modo rotas suas voluit, atque agitat. Nunc ad alium locum veniamus. Pag. 419. occasione cuiusdam textus ex libro de *Veteri Medicina* deprompti scribitur de prædicto libro. *Antagonista sibi persuadet esse fœtum Hippocratis secundum systema Democriti scriptum, sed nullum suo modo fundamentum adducit, & certum est, de libris communiter Hippocrati attributis nihil posse determinari, vt optimè notat Soranus.* Adducuntur in hoc Sorani verba non pauca, & demum concluditur. *Nos igitur, omissa controuersia de Authore libri, censeamus iuxta communem, & vulgatam editionem*; quasi verò Magister tuus omnino consueuisset, imò contendisset, eum librum esse Hippocratis. Nunc accipe, vt se habeat res. Allatus fuerat contra Subtiliorem Anatomen in *Dissert. de Recen. Med. Stud.* ille textus confidentissimè sub nomine Hippocratis. Animaduertit

O Præ-

Præceptor tuus in sua *Resp.* p. 335., esse illum textum ex libro *de Veteri Medicina*, atque adeò posse meritò controuerti, vtrùm sit Hippocratis, an verò potiùs Democriti; cùm multas istius sententias Liber ille contineat; Sed ne tempus examini textus debitum in ea quæstione vnius assis contereret (quod proculdubio alij fecissent, centum Authorum non solùm nominibus; sed, quod longè grauius Lectori est, prolixis textibus, ad rem, & etiam non ad rem facientibus, in medium adductis) dat per concessionem quasi petenti, librum illum esse Hippocratis, & statim ad textus examen transit. Et profectò, si vera Authoris sensa; non autem Londinensem, aut Venetam versionem impugnandam sibi proposuisset; nunquam Authori *persuasum esse*, hic homo retulisset, *librum de Veteri Medicina esse Hippocratis fœtum*; sed iuxta fideliorem Geneuensem, aut Amstelodamensem editionem dixisset, Authorem tantummodò *illud suppofuisse*, aut iuxta hetruscum exemplar, *illud* (quod idem est) interim *credidisse*; vt diligenter inspectis libris comperies. Comperies quoque, legitimum exemplar obseruatum non esse p. 417. *Vigiliar.*, sic enim ibi de tuo Præceptore scribitur. -- *deducit in syncope cardiaca modò præscribi sanguinis missionem, quæ sæculis elapsis omittebatur*; „ obseruo, *inquit*, in syncope cardiaca institui sanguinis missionem, de qua præteritis temporibus loqui nefas erat „; *quomodo loqui nefas erat, quando innumeri Doctores eam proponunt?* & de more ad conuicia statim venitur. At longè aliter habet verum exemplar, p. 334. *Osseruo, che nelle sincopi cardiache si caua sangue, e in altro tempo era vn sacrilegio il parlarne.* Non dicam, alio in loco iuxta Venetam, & Londinensem editionem securissima hæc verba, vt Præceptoris tui propria, adduci, *Et si Chirurgorum opus dirigeretur ad euellendos folliculos glandularum in tumores degeneratarum, tutò, & facillimè*

opus

opus complerent; cùm tamen aliæ editiones sic loquantur, *tutiùs, & faciliùs operarentur*; imò cùm legitimum exemplar (p. 308.) sic tantùm habeat, *E se li Cirugici leuassero li follicoli delle giandole, quando degenerano in tumori, non hauriano tanto da trauagliare*; Hoc, inquam, non dico, neque inquiro, num allatæ p. 306. in hæc, & proxima *Responsionis* verba Chirurgorum sententiæ eædem prorsus sint; vt contenditur; ac sententia Magistri tui: est enim in hoc loco aliud, quod potiùs notem. Affirmatur scilicet (vt tantò acriùs dicteria iaciuntur) eundem Virum chirurgicum illud documentum ex propria obseruatione protulisse. Scribitur enim, *Quomodò poterat de rebus chirurgicis testimonium ferre, & asserere ex propria obseruatione id, quod nunquam præstitit, nec vidit?* At verò, vt hoc vltimum concedam; quod nunquam tamen est concedendum; talem Virum id non vidisse; falsum est, eundem de illa re testimonium tulisse, siue ex propria obseruatione asseruisse; vt ex perlectis diligenter eiusdem verbis ipse poteris per te cognoscere. Falsum quoque est, quod p. 381. affirmatur; eundem Virum asseruisse, *in scholis veterum solam pituitam in cerebri ventriculis morantem apoplexiam producere -- vniuersaliter loquendo*; cùm hoc saltèm euidens sit, ipsum ita scripsisse, *supposta la pituita nei ventricoli del ceruello, e somiglianti ipotesi*; vt in *Resp.* p. 327. Quæ cùm ità sint; multò digniùs in nostrum hunc hominem torqueri possunt, quæ vtcunque ipse in alios scribit p. 357. *Quando Authores citantur, sanctè, & religiosè sunt citandi; plura enim præiudicia inde oriuntur, & author relatus læditur, & lector perperam instruitur.* Verùm iam ad alios locos veniamus. Pag. 600. 601. & seq. examinatur responsum in *Post. Opere* p. 45. circa glandulosam hepatis naturam Kerckringio datum: quod, vt confidentiùs possit exagitari; ita refertur, quasi nonnulla, quæ Magister tuus circa vsum micro-

croſcopiorum raptim, & fere quatenus opus erat ad illud dubium de glanduloſa hepatis ſtructura diluendum, vtque etiam faciliora, in ea reſponſione indicauit, ita propoſuiſſet, vt quidquid circa vſum microſcopiorum aut ille ſciebat, aut in vniuerſum tradi poteſt, ibidem tradere ex profeſſo intendiſſet. Quam ego iniuſtam referendi rationem, tantò minùs tolerandam cenſeo; quantò plura, quantòque abſurdiora ſunt, quæ, illa ſuppoſita, deducuntur, atque in immeritum iactantur Virum, qui, vt ſæpe alibi, exempli cauſa p. 338. 377. &c. ita hoc in loco has, aut illas res negligenter omiſiſſe, aut non ſatis explanaſſe culpatur, quas ille multiloquij inimicus, tanquam inſtituto ſuo minùs neceſſarias, & quandoque etiam lippis, & tonſoribus notas, ſciens prudenſque prætermiſit. Quid, quòd Kerckringio *nihil omnino reſpondiſſe* ſcribitur? Dubitauerat Kerckringius, ne ſola infidi, alicuius microſcopij authoritate hepar glanduloſum ſtatutum eſſet. Reſpondet ille hæc duo potiſſimùm. Microſcopia in hepatis perluſtratione adhibita ex eo genere non fuiſſe, &c. Deinde non ſolis microſcopijs ſe crediditſſe; ſed in quorundam piſcium, aliorumque animalium hepate nudis oculis diſtinctas glandulas obſeruaſſe. Mitto nunc, an Kerckringio ſatis reſponderit. Illud quæro; cur quando reſponſionis Kerckringio datæ duæ potiſſimùm partes ſunt, altera à microſcopiorum conditione deſumpta, altera verò ab anatome comparata; cur, inquam, homo iſte, qui Alios interim defectûs accuſat, ſecundam reſponſionis partem hìc prætermiſerit, & apud Lectores diſſimulauerit? Profectò latet hìc vitium non ſolùm omiſſionis; verùm etiam malæ relationis. Eò enim omiſſio hæc ſpectat, vt Lectores incauti credant, Magiſtrum tuum in ſuis *Operibus* ſolam microſcopiorum authoritatem ſecutum eſſe; vnde poſteà & eius Inuentorum, & eius Methodi rationem infidam,

debi-

debilemque exiſtiment. Videor tibi incredibilem quendam conatum, & audaciſſimum tentamen narrare; Cùm enim nemo ignoret, Viri Methodum talem fuiſſe, vt non vnum, ſed multa ſimul adhibere conſueuerit; quis vnquam credat, auſum aliquem de ipſo referre, quòd ſoli microſcopio paſſim innixus ſit? Noſter tamen reuerà conatur hoc Lectoribus obtrudere; quò enim tendunt iſtæ propoſitiones? Pag. 20. *Antagoniſta in microſcopio omnem ſuam ſpem collocauit maximo Reipublicæ Anatomicæ præiudicio*. p. 515. *Antagoniſta in ſolo microſcopio detentus credidit, &c.* aut; vt alias mittam; quò tendunt illæ, quas; vbi de *Microſcopij Vſu*, paſſim inculcat, & præſertim illæ, quibus Opuſculum hoc claudit? Cùm enim in eiuſdem principio pollicitus eſſet, Operum omnium Magiſtri tui, tanquam microſcopicæ obſeruationi ſuperſtructorum, fidem, & authoritatem, per illud Opuſculum in dubium ſe eſſe tracturum; ſic concludere non veretur. *Ex his patet, quid ſentiendum ſit de microſcopiorum vſu, præcipuè quando illis adhæremus ſinè graui ratiocinio; doctæ enim fabulæ potiùs, quàm veritates proponuntur, ſi armatos tantùm oculos ſequamur, & nihil aliud ponderemus, quod erat oſtendendum in hac Conciſa de Microſcopijs Diagnoſi*; quaſi verò præter microſcopia; iniectiones, coctiones, macerationes, & ſimilia adminicula in ſuis *Operibus* conficiendis, nunquam Vir ille adhibuiſſet, morboſaſque conſtitutiones, inprimis verò anatomen comparatam minimè conſideraſſet. Qua in re, vt in multis alijs, noſter ſibi parum conſtat, vtpote qui alibi ſingula iſta adminicula in illorum *Operum* compoſitione fuiſſe adhibita, confitetur, & præcipuè in *Partis Critologicæ* principio, vbi paſſim de eorundem vſu Præceptori tuo conuiciatur. Opportunè autem in *Partis Critologicæ* principium incidiſſe me, ſentio. Si enim locus vllus eſt, in quo Viri ſenſa, & methodus malè referantur; eſt certè hic vnus: quem

quem proindè hortor, vt ad vigesimam paginam, & vltra diligenter perlegas. Iam nosti, Præceptorem tuum *de Cerebri Cortice* pag. 270., agentem de glandulis corticalibus in perfectorum, deinde & aliorum animalium cerebro comperiendis, ita scripsisse. *Harum glandularum distinctionem, affuso attramento, & leuiter gossypio deterso, videbis; intercepta enim spatia ita denigrantur, vt circumscriptas glandulas faciliùs exhibeant; easdem glandulas in piscium, & pennatorum cerebro, cocto tamen, facilè deprehendes, ità vt eadem sit omnium animalium structura.* Quæ vltima verba sicuti, cum superioribus connexa, & respectu corticalis cerebri structuræ, occasione cuius proferuntur, vt par est, considerata, multò minus dicunt, quàm aliàs dicere videri possent; ita à suo loco, & ab alijs verbis separata, mirum quantam vim, & extensionem possunt obtinere. At lege quod dicebam, *Critologicæ Partis* principium; & ibi nil magis repetitum, & inculcatum reperies, quàm Magistrum tuum in adducto loco sic docuisse. *Eandem esse omnium animalium structuram.* Et non hoc solùm; verùm etiam (& magno quidem cum stomacho) hæc sensim videbis Lectorum animis instillari. Pag. 7. *Rigorosè* eundem Virum *Rigorosè*, inquam, eo in loco *locutum esse; & in omnibus animalibus easdem partes esse admittendas, & eandem structuram esse contendisse.* p. 19. Consequenter voluisse, *in cane, vel alio animali, cor, hepar, lienem, pulmones, cerebrum, & alia viscera conuenire omnino in structura* (idest etiam *in structura atoma, & insensibili*; vt in alio *Vigiliarum* loco) *cum humanis visceribus.* Attentè proinde animaduertendum esse *orthodoxæ fidei Cultoribus*, an hæc Doctrina *sit sana*. p. 12. Iam namque animalium differentias nullas esse futuras, p. 11. *& mores & actiones asini iuxta Antagonistam non debere esse diuersas ab humanis, &c.* At dicere possent Lectores (& optimè quidem dicerent) Authorem eo in

loco,

loco, neque *rigoresè*, *& de omnibus*; neque *absolutè*, *& de atoma structura* locutum esse; non *de atoma structura*; quia non multas ante lineas dixerat, *atomam*, *minimamque structuram adhuc nos latere*; non de omnibus; quia iampridem in *Exercitatione de Cerebro* p. 121. fassus fuerat, *Naturam solere simpliciori*, *& vnica methodo*, (non semper) *sed vt plurimùm procedere*; in *Exercitatione* autem *de Externo Tact. Organo* p. 203. etiam strictiùs, *vt plurimùm Naturæ ferè consimilem solere esse operandi methodum*: Ne itaque Lectores sic dicerent; videbis, hos, aliosue similes textus partim p. 5., partim alibi afferri, & hæc simul illorum animis instillari, Istos verò textus esse hominis contradictiones. Ijs in locis à suis principijs illum recessisse. Hanc enimverò esse vim veritatis, vt à nolentibus licet, assensum exprimat. Ad hæc circa alias, quas Vir ille, vt probabiles, & plerumque, atque in germano quidem sensu veras, vtilesque propositiones, & methodos; non vt vniuersales, & necessarias; neque solas; sed cum alijs coniunctas secutus est; circa has, inquam, oh qualia obtrudi incautis Lectoribus, comperies! Sicubi verò improbis relationibus magna tuo Magistro apud Lectores inuidia conflatur; certè in his conflatur, quos statim adducam, locis. Ita enim in istis res enarrantur, atque exponuntur, vt ille sibi, aut Neotericis impudenter multa arrogasse videatur, quæ Maioribus debeantur. Pag. 5. hæc scribuntur -- *occasionè nerui optici in pisce gladio obseruati*, *de quo in Tractatu de Ossium Examine verba fecit Eustachius*, *& à quo recepit Antagonista*, *omisso de industria illo*, *per quem profecit*, *& addito tantùm nomine piscis Xiphiæ*, *quo modo Collega de Cerebro Antagonistam frigidè tuetur*. Ex huiusmodi relatione quis non credat, Eustachium scribere, illam obseruationem se habuisse expresè in pisce Gladio; Præceptorem verò tuum obseruationem ex Eustachio transcripsisse, & nihil aliud

aliud noui nos docuiſſe, quàm ſynonymon piſcis Xiphię? Porrò Euſtachius ſiluerat genus, nedum ſpeciem animalis, in quo obſeruauerat; conſequenter nihil, aut propemodùm nihil docuerat. Alter verò ſe obſeruaſſe, dicit, in piſce; & hoc non ſolùm; ſed nominatim in Xiphia, thynno, & alijs; conſequenter; vt mittam cætera, quæ addit; ipſe rem docet. Sed antiquam hanc calumniam; quam noſter hic homo verè ipſe ab alijs *recepit*; neruosè (non *frigidè*; vt de more malè refertur) neruosè, inquam, iam propulſauit Fracaſſatus, & hoc neruoſiùs etiam Borellus. Itaque ad aliam tranſeamus. Pag. 133. legimus. *Antagoniſtam ſuo more de fibris Lienis multa ſcripſiſſe, ac ſi primus illas vidiſſet; qui veritatem amant legant Higmorum tam in Diſquiſitione, quàm in Exercitationibus, legant Gliſſonum, antecedenter Veſalium, & priſcos Anatomicos, Hippocratem ipſum, & determinent, an ſint nouæ, an ex alijs repetitæ obſeruationes*. Aſt in ipſo Cap. 2. *de Liene*, in quo ſcilicet de his fibris agitur; nonne Gliſſonius, immò & alij etiam antiquiores Anatomici eaſdem fibras & vidiſſe, & conſideraſſe, expreſsè ſcribuntur? Multò magìs miror de his, quæ lego occaſione eorum, quæ de Aſthmatis diuiſione in humidum, & ſiccum in *Reſp*. pag. 332. dicta fuerant. Lego enim in *Vigiliar*. p. 395. *noſtro ſeculo diuiſionem aſthmatis cognitam fuiſſe falſiſſimum eſt*, & p. 398. -- *adhuc Antagoniſtæ doctrina eſſet manca; quoniam noſtro ſeculo prædicta diuiſio non eſſet inducta. Neoterici, bona venia eorundem, ſæpè in hoc ſibi plurimum tribuunt, vt multò plura ſe detexiſſe credant, quàm reuera detexerint, &c*. Quare iſta, Antonine, occaſione textus Magiſtri tui? & quare inter hæc tot Veterum nomina operosè citantur, qui de Aſthmate conuulſiuo vtcunque meminerunt? quaſi verò in *Reſponſ*. ſcriberetur, illam diuiſionem hoc noſtro ſæculo primùm innotuiſſe. Sed Amſtelodamenſis, & Geneuenſis verſionis verba

nonne

nonne ista sunt? *Asthma hoc sæculo non exiguum auxilium consecutum est, quoniam ipsius diuisio dilucidata fuit in humidum, & siccum.* Imò, eiusdem, quam noster adhibuit, versionis, nonne, quantùm ad hoc, sufficienter verba conueniunt? *Asthma hoc sæculo non exiguum auxilium consecutum fuit; quoniam ipsius diuisio enucleata* (idest explanata, siue dilucidata) *fuit, in humidum, & siccum.* Quid plura? totum hunc locum in legitimo exemplari sic legimus. *L'asma in questo secolo hà riceuuto non poco vantaggio, poiche si è dilucidata la sua diuisione in humida, e secca. La patologia dell'vmida per via della Notomia moderna, & inuentione delle giandole miliari nella trachea, quanti strani concetti hà annientati? L'altra poi accennata rozzamente da Pisone, e da Helmontio, perche non fù accompagnata con le vere osseruazioni anatomiche; hà lasciato il luogo al Willis, & ad altri d'illustrarla, e farsene gloriosi, dirò autori, col solo lume della Notomia; mostrando, ch'essa dipende da vna conuulsione di nerui, e de' muscoli intercostali, e setto trasuerso.* Attendere ergo noster debebat, antequàm hanc immerenti Viro inuidiam conflaret, ne ipsi multò maior, multòque meliori iure conflari posset; ostendendo, quàm improbè, quàmque infidè vim, & sensum alieni textus retulerit: quod, vt ego in priuata epistola tibi indico; sic nullus dubito, quin multi, quibus Viri nomen magis, quàm mihi, indifferenti nimirùm homini, cordi, & curę est, publicis propediem scriptis sint vulgaturi. Hoc verò omnino habent hac tempestate quàmplurimi Recentiorum inimici, vt se diligentes Veterum amatores populo, & senioribus Medicis venditent; tum si rei alicuius à Neotericis sub omnium oculis positæ, vestigium aliquod, aut aliquem; vt sic dicam; odorem in vno vetusto libro (quem tamen sinè communicata à Recentioribus notitia nunquam ita explicassent; certè non satis intellexissent) tandem aliquando inuenire possint; tum,

inquam, hoc habent, vt inuentum antiquum textum volentibus nolentibus semper inculcando, eruditos se, & Maioribus gratos ostentent; Recentiores verò, nil tale vnquam suis laboribus promeritos, aut ignaros, aut inprimis ingratos proclament, & impudentes. Sanè res obsoletæ, maximè si nunquam sufficienter fuerint probatæ, eæ quasi nunquam dictæ mihi videntur. Exemplo sit ille religiosus adeò venarum delectus ab aliquibus quidem olim contemptus; at tantummodò post euulgatam Circulationem Sanguinis communiter explosus; aut potiùs; cùm de illo iam supra dixerimus; exemplo sit structura Cordis muscularis. *Natura Cordis muscularis* iam *cognita Hippocrati*, *& alijs* dicitur in Vigiliar. p. 570. Verba hæc licet in transitu prolata, intelligo tamen, quid sibi velint, ex earundem *Vigiliar.* p. 414. Scilicet Stenonium, & Louuerum pro communicata muscularis naturæ Cordis notitia immeritò extolli. Hanc laudem ab anatomica Schola Antiquis deberi. De hac cognitione esse ipsi vetustissimo Hippocrati gratias habendas. Verùm an quia Hippocrates Cor musculum esse, dixit; ideò nunc sciunt Anatomici, & passim docent, Cor musculum esse? Certè si res ita esset; multò magis veteres Anatomici id communiter docuissent, vt qui Hippocratem frequentiùs legebant, quàm nostri. Verùm enimuerò nisi Stenonius, & Louuerus structuram Cordis cum aliorum musculorum structura rectè comparare docuissent; frustra adhuc Hippocrates Cor musculum esse, dixisset, & communiter adhuc cum Galeno *de Anat. Administr.* l. 7. c. 8. affirmaremus: *Nihil intelligunt, qui Cor musculum esse, dicunt.* Cùm ergo res verè doceant, non hi, qui indicant; sed hi, qui ostendunt; vtique iniuriam nemini facerent Recentiores, si multa, à Veteribus licet indicata, se primos docuisse, affirmarent. Quantùm igitur illi sunt Recentioribus iniqui, atque infensi, qui hos repre-

hen-

hendere etiam tunc volunt, cùm quæ se primos docuisse, affirmare possent, ea dilucidasse, & sub oculis posuisse tantummodò affirmant! Huc sanè pertinent, quæ in *Vigiliar.* pag. 366. conscribuntur. *Ventriculorum postea vsus, nimirum quod in cerebri ventriculis spiritus animales generentur, non est explosus nostris diebus à recentioribus* (& post eorum, qui contrarium opinati sunt, enumerationem) *ita vt Antagonista nimia sua facilitate vltimis authoribus attribuat vsum ventriculorum cerebri, colligendi scilicet, & purgandi excrementa, & hinc sine fundamento concludat nostris diebus tantùm veras theorias innotescere*. Inprimis malè hìc refertur Viri sententia; hunc enim in loco impugnato, p. scilicet 326. *Resp.*; prædictum *vsum vltimis Authoribus attribuere*, falsum est. Sed hoc mittamus. Cur hìc reprehenditur eiusdem relatio circa ablatum cerebri ventriculis spirituum generandorum munus? & cur, quæso, Veteres, qui idem aliquando censuerunt, hìc adducuntur? quasi verò negaret ille, extitisse vnquam aliquem Anatomicum, qui alicubi illud ventriculorum munus improbauerit; cùm hoc ad summum affirmet, post Recentiorum labores passim à sagacibus Medicis illam doctrinam relictam esse: quod profectò verissimum est. Similiter p.379. & seq. cur Antiquorum opiniones citantur, qui Apoplexiam propter alias caussas vltra pituitam contingere, crediderunt? tanquam Magister tuus expresè contenderet, neminem vnquam ex Antiquis id cognouisse; qui porrò in *Responsione ad Galenistarum Triumphum* p. 217., & 221. multos ex adductis Authoribus prior indicauit, imò & plures alios, quos in *Vigilijs* non reperio. Et cur inter cæteros potissimùm affertur Martianus scribens. *Videant posteriores, quantum à præceptoris doctrina, & ex consequenti à veritate recedant, dum cuiuslibet apoplexiæ causam, aut saltem pro maiori parte in pituitam frigidam, & humidam referentes,*

curationem perpetuò calefacientibus, & exiccantibus instituunt. Nonne hoc ipsum Magistro tuo satis est: veteres nempe Medicos communiter pituitam in ventriculis accusauisse; cùm alio modo post multas Recentiorum obseruationes nunc communiter à melioribus Medicis censeatur. Denique quare scribitur p. 330. *erratum de iecore calido, & ventriculo frigido à Doctoribus cognitum fuisse independenter à cognitionibus anatomicis minimis*? & quare p. 331. idem asseritur de halituum in cor, & caput ascendentium confutatione, affirmando insuper, *sic cognosci, quàm curta fuerit lectio Antagonistæ, & quantopere idem allucinatus sit tribuendo anatomiæ, quod sinè hac cognitum est*? An paucas illas, & cuique obuias authoritates, quæ ad illa vtcunque probanda in *Vigilijs* adducuntur, Eruditissimus ille Vir ignorauerit? Malè profectò, & iniustè, quæ ille scripsit in *Resp.* pag. 316. hac ratione reprehenduntur; qui porrò neutiquam negauit, aliquem ante Recentiores repertum esse, qui talia fabulas esse, cognouerit. Hoc satis ipsi est, quòd Neoterici, & potissimùm diligentiores Anatomici illa penitus tandem exploserint, dum hepar sanguificationis officio priuarunt, atque ideò cætera hinc deducta commenta vna opera sustulerunt. Porrò (quidquid scribatur in *Vigilijs* pagina 330.) ad hepar prædicto officio priuandum plurimum contulisse diligentior tui Præceptoris, anatome dicenda est. Non enim inficias itur, per Vasorum Lacteorum, siue potius per Thoracici, & Lymphaticorum Ductuum cognitionem, hepaticam hæmatosin in dubium reuocatam esse; sed tamen, cum adhuc chylus tandem aliquando cum sanguine in hepar delatus, ibi à peculiari huius parenchymate in sanguinem mutari, ijs non obstantibus, alicui pertinaciori videri posset; certè qui hepar non parenchyma sanguini coagulato affine, atque ideò, vt aiebant, ad sanguificandum idoneum; sed me-

rum

rum glandularum aceruum esse, ostendit, quarum excretorij ductus in Porum Bilarium demittuntur; certè, inquam, ille; modò res ingenuè attendatur; omnem reuerà dubitationem sustulit, & rem perspicuè, & luculenter confecit. Igitur & sublata hepati sanguificatio, & quidquid hac sublata, in Praxi mutatum fuit, tuo Præceptori, & Diligentiori Anatomiæ (velint nolint) potissimùm referendum est. Verùm sicuti istas, & similes Rei Medicæ vtilitates, quæ solertiori Anatomiæ referuntur, & aliæ, quæ adhuc referentur in posterum, ego fateor eidem esse referendas; ità; vt par est; nego, omnia, quæ in medicina facienda necessaria sunt, ab eadem expectanda esse: & qui Præceptorem tuum aliter credidisse, innuunt, illi hominem calumniantur. An ipse „ negasset, quòd „ qui tempus in microscopicis obser- „ uationibus tantùm impendit, de morbis, & remedijs „ nunquam satìs erit instructus?„ aut quòd subtilior Anatomia cum sola Zootomia, & Dendranatome coniuncta, egregium, & perfectum Medicum non facit? Quid plura? Nonne ipse statim sub initia suæ *Resp.* p.287. expressè hoc confitetur, dum concedit: *che le trè anatomie sole, e senza l'aiuto dell'altre cognitioni non siano sufficienti per fare vn buon Medico?* Sed aliud non minore iniuria ipsi affingitur occasione horum verborum ex *Responsione* adductorum, Neotericos scilicet laborare *pro perficienda, quantùm fieri possit, naturali historia, ità vt ex hac posteri fundare possint systema philosophicum, & temporis progressu ei comitem medicum*. In hæc enim verba scribitur in *Vigil.* p. 441. Hoc *non concordat cum hucusque ab Antagonistà prolatis clamante vsque ad sydera, ex nouis obseruationibus, medicinam* à Priori *constare*. An verò illa istis repugnent, siue an illud verbum *à priori* ita ab Authore acceptum fuerit, vt noster refert, nec ne; hoc superiùs mihi videor sat perpendisse. Illud tantummodò

hic

hic addam. Morem esse, imò officium prudentis Lectoris, vt si inter legendum locos inueniat, in quibus Scriptor aut absurda proponere, aut sibi ipsi contradicere videatur; eos primùm locos diligenter consideret; tum si aliquod in ijsdem æquiuocum verbum comperiat, hoc quandocunque potest, in eo prorsus accipiat sensu, in quo si accipiat; & contradictio, & absurdum omne soluatur. Sic quicunque verbum illud *à priori* in *Responsione* inuenerunt, incautos se, & Authori iniurios arbitrati essent; si illud pro *demonstratiuè* accepissent; cùm tot alij eiusdem Authoris loci aliter accipiendum esse, persuadeant. Noster verò parum adeò curauit, an Magistri tui sententiam bene, an malè referret, vt ex contradictionibus iuxta hanc suam acceptionem consequentibus; vnde alij obiecta soluendi occasionem sumpsissent; sumat ipse occasionem noua obiecta cumulandi, & Authorem non solùm absurda; sed etiam inter se discordia habere, proclamet. At pauciores saltèm, aut minùs luculenti fuissent hi loci, qui verbum illud *à priori* aliter sumendum esse, testantur; faciliùs venia dari posset. Sed omnia, aut ferè omnia, quæ viuens adhuc Author edidit, nostro etiam hoc confitente, non certum herculè, non securum; sed dubitantem ostendunt animum. Nominatim verò ad Medicinæ statum quod attinet, nonne in *Resp. ad Galenist. Triumph.* p. 231. non solùm *nimiùm credulos, simplicesque* appellauit, qui perfectam illam crediderunt; sed vix, ac ne vix quidem post omnes Recentiorum, etiam qui nondum sunt orti, labores, spem istam posteris habere concessit? Certè in ipsa, quam potissimùm noster attendit, *ad Epist. de Recent. Medic. Stud. Responsione* cùm alia, quæ superiùs adducta sunt, in hanc sententiam conscribit; tum hæc quoque p. 320. La Medicina *per essere anche in crescere, può sperarsi, che con nuoue diligenze sia per illustrarsi, e rendersi più certa*. An ergo

qui

qui ſperat, Medicinam poſſe illuſtrari, & certiorem reddi; hanc eſſe demonſtratam, ſimul docuerit? & qui affirmat, adhuc eſſe in augmento, illam iam perfectam ita cenſuerit, vt nihil aliud quærendum ſit? Quò fit, vt malè omnino Viri ſententia referatur in *Vigiliar.* p. 460. dum iſta, quæ in *Poſth. Reſp.* p. 350. occurrunt, verba; *La medicina rationale contiene tutta la empirica, e di vantaggio vi aggiugne la cognitione delle cauſe, ed il progreſſo à priori; ſicchè l'impoſſeſſarſi di queſta non è vn impouerire, ne ingannare la giouentù, che ſtudia*; dum iſta, inquam, verba ita accipiuntur, vt eorum occaſione ſcribatur, quòd qui talia docet *pro veritate non loquitur, nec ſtudioſam iuuentutem dirigit, hoc maximo, & præcipuo fundamento, quòd res cognoſcantur, quando ſunt occultæ, & quod nulla ſit occaſio quærendi, quando quotidiè magis quærendi neceſſitas vrget*. An fortaſſe in *Reſponſione* affirmatur, omnia vera, & perſpecta eſſe? Profectò non eſt, quòd hìc, & p. 444. & alibi incauto Lectori obtrudatur, Scriptorem illum, *qui ſolitus fuerat de omnibus dubitare*, modò *ſupponere* in Poſthumis, *omnia ſciri à priori*; cùm quiſque obſeruare poſſit, ingenuam illam propoſitionem, *Vt verum fatear, quò magis manifeſta mihi eluceſcit cerebri ſtructura, eò magis tot mirabilium operationum explicandi methodum ſpes excidit*, non olim tantummodò à tuo Præceptore, de *Cerebri Cortice* p. 275. fuiſſe prolatam; ſed eandem etiam in *Reſp.* p. 326. confirmatam eſſe his verbis. *Queſta è* „ *vna mia propoſitione portata con ingenuità* „ de cortice „ cerebri „ *nel cap.* 4., *la quale anche hora ratifico, &c.* aliaque conſimilia; imò nonnulla hæſitantiùs in *Poſthumis* proponi, quàm olim in primis *Operibus* prolata fuerant. Verùm; ſi ego bene te noui; iam ferre ampliùs non potes, Amiciſſime Antonine, inuentum eſſe hominem, qui tam incredibilem, tam portentoſam omnia ſciendi arrogantiam Viro Modeſtiſſimo Præceptori tuo

affin-

affingere non dubitarit. Quare ad aliud transeo, quod paulò anteà mihi in mentem reducebant illa *Responsionis* verba. *La Medicina rationale contiene tutta la empirica.* In hæc enim verba pag. 460. *Vigiliarum*, ista scribuntur. *Sit nomen Domini benedictum. Concedit Empiricam esse proficuam, quam supra omni conatu damnauit; quòd hoc concedat, patet, quia medicinam rationalem locupletatam esse ab Empirica plenissimo ore admittit, dum eandem continere fatetur, sed in suo loquendi modo non obseruauit intolerabilem „ errorem, qui est,* „ Medicinam Rationalem „ *continere Empiricam, & huic addere causarum cognitionem, & à priori progressum; quando Empiricæ sectæ adderetur causarum cognitio, & à priori progressus cessaret esse Empirica; vndè amplius non diceretur, Rationalem continere Empiricam, sed &c.* Vides, Antonine, qua securitate duo affingantur tuo Præceptori. At Secundum, nempe quòd intolerabilem, vt dicitur, istum errorem non obseruauerit (quasi verò similes loquendi modos passim non adhiberemus, & pueri ipsi à Logicis inter initia non addiscerent, quo sensu ijdem accipiantur) adeò misera, adeò aperta calumnia est, vt pudeat, super eadem te ampliùs detinere. Verùm & illud alterum, quod primò notatur, videlicet tuum Magistrum illam Empiricam omni conatu damnauisse, quam tandem proficuam esse concedit; manifestè pariter Viro affingitur. Etenim, quam hìc commendat, Empirica est prudens ista, & cum Rationali coniuncta; quam verò alibi damnauit, Empirica est à Rationali separata, cœca illa nimirùm, & periculosa. Scilicet practicæ obseruationes Rationalibus iuxta atque Empiricis communes sunt; iudicio autem obseruationes instituere, & iudicio adhibere, Rationalium est, non Empiricorum; aut si etiam Empiricorum; certè non eorum est, qui communiter vocantur Empirici, quosque potissimùm damnare intendit Magister tuus. Frustra enim

Le-

Lectoribus in *Vigiliar.* p. 208. 209. 215. 232. 235. 248., & alibi passim insinuatur, illos Empiricos à tuo Praeceptore *irrideri, qui experientia, sed cum suis limitationibus,* vtuntur, *qui sunt Viri prudentes, doctissimique, qui naturam quaerunt, qui rectè distinguunt, rationem non negligunt, praecepta vniversalia non spernunt, quique demùm in Medicina experientiam vna cum iudicio, & prudentia vniunt.* Certè Praeceptor tuus, quales potissimùm damnet Empiricos, non vno in loco *Responsionis* suae ostendit, praesertim verò p. 381., vbi „Empiricam reformatam, & „additione quarundam suppositionum, ac ratiocinatio- „ne auctam negat Empiricae naturam retinere, sed ac- „cedere censet ad Rationalem; neque putat, dari hodie „veros, purosque Empiricos, exceptis circulatoribus, „cùm omnes aliquod systema supponant, licet imper- „fectum, & aliquo progressu vtantur, qui excedit na- „turam experimenti, & vsus„. Nec verò iniuriâ; vt noster in *Vigiliis* p. 227. & 544. conqueritur, circulatores, aliosque huius farinae magistellos Empiricorum nomine accipit; quando communiter ita omnes accipere iam consueuerunt. Sic Baconus (l. 1. *de Augment. Scient.*) *Fatemur omnes temerarium quiddam esse, Empiricis Medicis Corpus, & Valetudinis curam tradere, qui solent pauca quadam Medicamenta, quae illis videntur, Pancresta, venditare, quorum fiducia nihil non audent tentare, cùm tamen neque causas morborum, neque Aegrotorum habitus, neque Symptomatum pericula, neque veram sanandi methodum calleant.* Sic . . Sed nae ego tempus tero in hoc ostendendo.

VII. Multos mihi videor attulisse locos, ex quibus constet, Praeceptoris tui sententias malè in *Vigiliis* esse relatas; & tamen alij loci, ex quibus idem constaret, plurimi adhuc afferri possent: quod quidem per te animaduertes, vbi perpenderis, obiectiones contra ipsum

prolatas, quas in hac epiſtola diluimus, magnam partem aut malè intellectis, aut malè relatis eiuſdem Viri verbis inniti, ſiue illas, quas hucuſque diluimus, obiectiones conſideres, ſiue iſtas maximè quas deinceps diluemus. Quod vt facere iam aggrediar; ſubit & hunc errorem pluribus in locis iniuriâ pariter obiectum eſſe, quòd ſibi ſatìs in ſuis propoſitionibus Vir ille non conſtiterit. Et vt incipiamus ab illo eodem argumento, quo potiſſimùm homo hic noſter libri ſui *Partem* (vt vocat) *Critologicam* voluit exordiri; in *Vigil.* p. 2. ſic leges. *Volumus ad oſtendendum pondus Aduerſarij demonſtrare eiuſdem inconſtantiam, & nullitatem principij. Inconſtantia patet ex 2. capite de Hepate, & ex 5. de Renibus; in primo loco tenet non dari anaſtomoſes in hepate, & cordatos viros deceptos fuiſſe teſtatur ex crebris foraminibus, quæ „ apertis vaſis conſpiciuntur; addit.* „ Illud etiam à Gliſ-„ ſono additum infirmare videtur cauæ, & portæ ana-„ ſtomoſes, cum immiſſo liquore per portam, tota he-„ patis caro deterſo ſanguine, & bile, colorem immu-„ tet; vndè concludi potiùs poteſt, glanduloſos acinos, „ quibus hepatis moles excitatur, medium eſſe inter „ aſportantia, & deferentia vaſa „. *Secundo loco ſuſtinet anaſtomoſes, & ait ſurculos emulgentium vaſorum in reni-„ bus ſibi* „ obuiam ire, & anaſtomoſi vniri; „ *probantne hæc vnam naturæ operandi normam, ſi vera eſſent? In hepate omnino negantur anaſtomoſes; conceduntur in renibus: In hepate ſubſtantia glanduloſa eſt medium inter vaſa aſportantia, & deferentia; in renibus non ità; quarè natura vel æqualiter non operatur, vel Antagoniſta noſter malè probat ſuas concluſiones. Sacramento affirmari poſſet Aduerſarium noſtrum, vel ſui oblitum eſſe, aut ſcripſiſſe id, quod nunquam vidit, quod maximè veriſimile eſt; aut de contradictionibus non fuiſſe ſolicitum, &c.* Poteratne plura, aut acerbiora in Virum congerere; ſi huius principium de vniformi natu-

naturæ operandi norma ita generale fuisset, vt ipse contendit? At; quanquam hoc malè ipsum retulisse, iam supra ostendi; hìc tibi finge, Præceptorem tuum illud principium perpetuum omnino, & vniuersale credidisse; & sine, vt hoc supposito, videamus, an propter adductos, aliosue similes eiusdem locos, sacramento affirmari possit, *illum de contradictionibus non fuisse solicitum*. Igitur in hepate inter portæ, & cauæ ramos, scilicet inter vasa afferentia, & referentia anastomosin esse, negauit; sed inter istorum, atque illorum extremitates medias esse voluit glandulas. In renibus verò (ait noster) edocuit, naturam opposita methodo gaudere; nam surculos emulgentium vasorum sibi obuiam ire, & anastomosi vniri, fatetur; igitur sacramento affirmare possumus... Verùm, o bone; nisi graue est; resiste parumper, & tuum istud tandiu sustine sacramentum, dum leuem hanc mihi dubitationem sustuleris. Aitne ille, vasorum emulgentium afferentes surculos, siue arterias anastomosi vniri cum referentibus, siue cum venis? an verò afferentes cum afferentibus, referentes cum referentibus, arterias cum arterijs, venas cum venis? ego enim sacramento affirmarem, hoc secundum docuisse. Etenim non ait, citato loco, pag. scilicet 286. arterias venis obuiam ire, & anastomosi vniri; sed *arterias, & venas in arcum curuatas alijs ramis obuiam ire, & anastomosi vniri*, & denique earundem *extremos surculos ad glandulas* desinere. In hepate verò negauitne omnino, omnino, inquam; vt tu dicis; anastomoses, ita vt nullum portæ surculum cum alijs portæ surculis, aut cauæ cum alijs cauæ vniri, voluerit? mihi sanè de hac re ne verbum quidem videtur fecisse. Ita est profectò, Antonine Amicorum optime, alia est anastomosis, quam negat in hepate; alia, quam in renibus admittit. Et tamen vidisti, quanto apparatu, quanta securitate, quantoque iniuriarum strepitu

pitu immeritus Vir impetitus est. Hoc; vti dicebam; est magnum illud argumentum, quo noster librum suum dignè exordiri se posse, censuit. Nunc paulò vlteriùs progrediamur ad pag. 25. vbi, vt probet, minimarum particularum figuram vi morbi immutari, ita scribit. *Sæpè sæpius inspicere voluimus glandulosos acinos hepatis, & modò cubicam, modò exagonam, modò alias intuiti sumus figuras. Erasmus Bartholinus confirmat primam; Antagonista secundam, & postea suo more approbat Mœbium eisdem figuram tesseræ attribuentem*. Volo numeres, Antonine, quot erroribus in his paucis verbis conscribendis noster labatur; sed priùs mecum perpende hæc verba Magistri tui, cap. 2. *de Hepate* p. 254. occurrentia, ea nempe, quibus hìc noster innititur. *In alijs animalibus lobulorum figura pisum æmulatur, & in fele sex, aliquando plura latera obseruantur, in homine idem adamussim reperies, vnde Mœbius in humano hepate lapides tesserarum figuram æmulantes vidit: erant autem proculdubio hepatis lobuli concluso, & concreto tartaro petrificati. Glandulosi acini, quibus lobulus componitur, cùm peculiarem circumscriptionem habeant, necessariò propria & ipsi constant figura, quæ vtplurimum hexagona, vel plurium laterum est*. Primò igitur noster malè refert Viri sententiam, dicendo tantùm, & absolutè, quòd hexagonam figuram in acinis admiserit; cùm & hexagonam, & plurium indefinitè laterum, vtplurimùm admittat. Secundò; malè igitur, dum probare vult, acinorum hepatis figuram vi morbi immutari, malè, inquam, affert propriam obseruationem, acinorum hepatis modò cubica, modò hexagona, modò alia figura compertorum; eas namque omnes figuras eisdem acinis naturales omninò esse, docet; vt vides; Magister tuus. Tertiò malè scribit Mœbium *postea approbari*, qui nempe approbatur anteà, scilicet ante figuræ acinorum descriptionem. Sed indignum est, me huiusmodi minuto

erro-

errori; vt noster faceret; immorari; maximè cùm maiores adhuc supersint. Quartò igitur, quod caput rei est, malè insimulat contradictionis Magistrum tuum; ait enim: *confirmat acinorum figuram exagonam, & posteà suo more approbat Mœbium eisdem figuram tesseræ attribuentem*. Est ipse, qui suo more aut malè intelligit, aut malè refert Viri sententiam. Vt enim nihil dicam de varia hexagonæ figuræ acceptione; certè Mœbius hìc approbatur de lobulorum figura, non verò de figura acinorum; de figura totius, non de figura particularum. Vides, hoc vt sit clarissimum; & tamen Quintò, si vt Mœbius non approbatur, ità reuerà approbaretur de ipsa acinorum figura; malè adhuc contradictionis Magister tuus accusaretur; Cùm enim hic ait, acinorum figuram *vtplurimum hexagonam, vel plurium laterum esse*; neutiquam figuram cubicam exclusit; non solùm enim *vtplurimum*; sed etiam indefinitè *plurium laterum* esse, dixit; Verùm non est operæpretium ita obuios, ita manifestos, ita per se eminentes errores pluribus indicare. Videamus igitur, an saltèm in duobus sequentibus locis, scilicet pag. 512. & 416. potiori iure, contradictionis, & inconstantiæ accusauerit Magistrum tuum. Pag. 512. scribit *A veritate coactus concedit Antagonista, anatomen plantarum non inseruire remediorum inuentioni, -- vndè velit, nolit, concedit nostrum principale institutum*. Vtique, si concedit, non inseruire; concedit ex parte *principale* huiusce hominis *institutum*. Verùm conceditne reuerà, nullatenus inseruire? Proculdubio, inquit, Antagonista concedit, anatomen Plantarum non inseruire remediorum inuentioni. At verò quomodò hoc concedit? Concedit hoc, inquit; quia scribit, *Et repetamus, anatomen plantarum non factam fuisse, vt immediatè haberentur remedia*. Vides tu, Antonine, an idem sit nullatenus inseruire, & immediatè non inseruire. Sed fortasse pag. 416. meliùs In-

con-

constantia probata fuerit. Inspiciamus igitur. *Sicut huc-usque Antagonista nobis imponere conatus est, ita paulò post veritatem confessus est, & nobiscum conuenit, remedia specifica cardiaca non esse ex prædictis obseruationibus reperta, consequenter antiquas curationes palpitationis, syncopes, aneurismatis, &c. repeti; quod erat nostrum principale institutum, & quod sufficit, ut cognoscatur nostrum summum ius ab Antagonista concessum impellente veritate.* Putasne, Antonine, tuum Præceptorem hoc concessisse? Ego sanè hìc figmentum aliquod de more subesse, suspicor. At meam hanc suspicionem noster præsensit; immediatè enim addidit: *Antagonista verba hìc nectuntur, ne quis crederet* „ *figmentum nostrum*, „ Et licet non reperta essent reme- „ dia specifica cardiaca „; *quare veritatem asseruimus in nostra Epistola post multa scripta ab Haruao, Highmoro,* „ *Lowero &c., nimirum* „antiquas curationes palpita- „ tionis cordis, syncopes, &c. repeti, nec in medicina- „ rum cardiacarum syllabo quicquam addi.]„ Vide hominis confidentiam. Poteratne securiùs rem inculcare; si loco horum verborum *Et licet non reperta essent*, quæ nullo prorsus modo concedunt quod ipse vellet, reuerà scripsisset Magister tuus *Et licet non reperta sint remedia specifica, &c.* An credidit, Lectores pro vna eademque re esse accepturos, *licet non reperta essent*, & *licet non reperta sint*; suppositionem scilicet, & concessionem? Transeamus modò ad p. 101. & ad p. 150. In hac contra „ Præceptorem tuum sic lego „ [infusi liquores in glan- „ dulas renum per arterias, glandulas replent „, *vt legitur de Renibus cap. 3., licet oppositum omninò habeatur de Liene cap. 6.* Verum est, à Magistro tuo, de *Renibus* pagina 283. ita scribi: *infusi liquores per arterias etsi* renum *glandulas repleant, non tamen vrinæ vasa penetrantes vnquam obseruare potui; de Liene* autem p.305. *idem in renum minimis glandulis accidit, quarum interior pars atramento*

per

per arterias iniecto nequaquam inficitur; Interim non video ego hanc omnimodam oppositionem; aliud enim est, interiora glandularum *liquore repleri*, aliud est, interiora glandularum *atramento infici*; non enim quòcunque subtilis aliquis liquor penetrat, illuc quoque crassiores atramenti particulæ queunt penetrare. Pag. autem 101. *Vigiliar.* sic habemus. *Aduertamus materiam polypi, quam censet Antagonista esse vniuersam, & totam concreti sanguinis molem, quod probat inductione eiusdem sanguinis concreti maximè abluti, in qua ablutione cum maxima pars particularum secernatur eiusdem molis, sequitur argumentum eiusdem non concludere. Istæ duæ Propositiones valde inter se distant. Prima sit, polypi materia ex tota sanguinis concreti mole deriuat. Secunda sit, polypi materia ex reticulari sanguinis portione, & materia innatantis crustæ procedit; quoniam altera comprehendit quicquid ad sanguinis structuram pertinet, altera verò determinatam dicit, & importat eiusdem structuræ portionem, quam indicauit noster Aduersa-*
„ *rius, dum voluit* „Polypos suscitari ex præcipitatis
„ quibusdam albis particulis, quæ præ cæteris fortasse
„ grauiores sint, &c. „ *postea recedens suo more totam concreti sanguinis molem esse materiam autumat, &c.* Verùm ô ego læuus, qui istiusmodi obiectionibus soluendis immoror, & tam prolixas transcribere sustineo cantilenas! Nonne quisquis legit istam, quæ hìc impugnatur, *de Polypo Cordis Dissertationem*, satìs superque cognoscit, nullam esse repugnantiam inter hæc duo; Polypi materia est reticularis sanguinis portio, & Polypi materia est tota concreti sanguinis moles? namque vnum idemque Authori est reticularis sanguinis portio, & tota concreti sanguinis moles. Non enim ille vocat concreti sanguinis portiones istas, quæ ab eadem mole abluuntur; cùm scribat, nihil aliud esse, quàm rubicundum ichorem, aut diaphanum succum in fibrarum reticularium exiguis

spa-

ſpatijs reſtitantem; corpus verò ipſum concreti ſanguinis componi doceat ex fibris reticularibus. Cùm talibus igitur, & leuioribus etiam rationibus innitantur aliæ, quæ ſuccurrunt hìc referendæ obiectiones, per quas noſter Viri inconſtantiam credit oſtendere; vtique eaſdem curſim potiùs præſtabit indicare, quàm ſedulò, & patienter diſſoluere. Videbis itaque p. 85. Præceptorem tuum improbari, quia in *Exercit. de Extern. Tact. Organo* primò ſcribit *papillas implantari in cute*; *altas habere radices in ſubiecta cute, & aſſurgere à cute*; inferiùs verò iudicat, *eaſdem eſſe neruorum extremos fines cutim perforantes*; quaſi verò hoc poſtremum dogma egregiè non componatur cum primis. Similiter pag. 82. hæc leges. *Docet Antagoniſta è nerueis papillis nihil exſudare; in hac parte ſicut in alijs ſemper eſt à ſe diuerſus; papilla cum ſit propago nerui ex Antagoniſta, debet aliquid portare; ſicut neruus nerueum ſuccum defert ex eodem*; tanquam idem prorſus ſit, quòd è papillis nihil exſudet, ſiue nihil proſiliat veluti è glandulis proſiliret, & quòd papillas nullum omninò fluidum actuet, cuiuſcunque ſit generis, & quacunque ſit quantitate. Pagina verò 19. hæc inuenies. *Antagoniſta quandoque dicit omnium animalium eandem eſſe ſtructuram, quandoque in imperfectis rudimenta perfectorum ponit: rudimentum excludit complementum, vndè non poteſt concipi æqualis ſtructura in animali habente rudimentum, ac in alio, in quo ſit opus perfectum*: & rurſus *Æqualis cenſura requiritur, quando vbique ait; ex zootomia cognoſci aliquid in homine occultum, non occultum in brutis; non erit itaque eadem ſtructura brutorum, & hominum, quia occultum, & manifeſtum opponuntur, &c.* Quæ quidem, & aliæ ſimiles obiectiones his tantùm poſſunt imponere, qui non aduertant, quo ſenſu Vir ille dixerit, eandem eſſe animalium ſtructuram; Nihil enim aliud intendit, niſi hoc, quod in *Poſth. Reſp.* pagina 341. manifeſtius expreſſit,
In-

„ Instrumenta nempe quibus natura pro suis operationi-
„ bus, & motibus vtitur, si non sint planè similia in om-
„ nibus viuentium ordinibus; redigi tamen analogicè
„ ad eandem mechanicam, &c. „ Occasione autem cuiusdam propositionis eiusdem Viri circa anatomiam plantarum p. 358. in *Resp.* occurrentis, huius videlicet, *E perche in questa Notomia vi è cosa, la quale può illustrare l'economia de gli animali, e di tutti li viuenti; quindi è, che si potria dedurre vantaggio da questa per la filosofia, e poi per la medicina*; occasione, inquam, huius propositionis, hæc leges in *Vigilijs* p. 482. *Propositio prædicta est de possibili, quare de facto minuit notitiam medicinæ à priori, nec non contradictoria est assertionibus hucusque allatis ab Antagonista, quia si aliquid illustrari potest auxilio philosophiæ, & medicinæ, & deduci similiter aliquid potest pro incremento prædictarum scientiarum, cum adhuc non sit illustratum, nec deductum, sequitur hoc auxilium adhuc latere, & consequenter à priori non constare quicquid hactenus dictum est ab eodem.* Verùm (ne alia dicam) de acceptione termini *à priori* iam superiùs satis scriptum est; quemadmodùm quoque de illa propositione, quòd nimia sit copia remediorum: quod ideò adiungo, quia pag. 478. *Vigiliar.* hæc inuenies. *Antagonista sibi contradicit, modò enim asserit, nimiam esse remediorum copiam, modò asserit deesse remedia, & praxin hoc ostendere, cum experientia constet ex eodem, non sanari infirmos.* Cùm igitur hæ, & similes multæ contradictionis, atque inconstantiæ obiectiones ob superiùs dicta corruant; nihil attinet, eisdem hìc loci immorari. Nec verò, optime Antonine, mirum tibi videri debet, tot contradictiones, quæ nullæ sunt, nostrum hunc hominem obiecisse; huiusmodi enim allucinationi iamdudum obnoxium esse eundem, cognoscis; nisi fortè iam tibi exciderint illæ contradictiones, quas sinè causa huic, vel illi iam in Opusculis obiectauit, &

R spe-

ſpeciatim illa, quam pag. 99. in Bohnio reprehendit, non bene intellecto in his, quæ ſcribit pag. 39. & multò minùs in his, quæ habet pag. 43. eorundem Opuſculorum. Oblitus ſuperiùs ſum diſquirere, numne; vt obijcitur in *Vigil.* p. 311., Magiſter tuus in *Operibus Poſthumis* ſententiam verè mutauerit circa quoſdam Pulmonis vſus; & ſtatuerit nonnulla, quæ ſint contra quoddam à ſe inſtitutum in Pulmone experimentum: quæ tamen quoniam facillimæ ſolutionis ſunt; age, his miſſis, ad illud alterum oſtendendum, de more tranſeamus; Vt nempe ille, qui contradictiones, atque inconſtantiam immeritò alijs obiecit, reuerà ipſe multis in locis inconſtantia, & contradictione laboret. Et primò illi vitio quidem non vertam (quod ipſe tamen in alios fecit) quòd ſe ſuas quaſdam ſententias mutaſſe, pluribus in locis fateatur; ſed Magno aſſentiar Auguſtino, qui in ſuarum *Retractationum Prologo* inquit. *Neque enim quiſquam niſi imprudens, ideò quia mea errata reprehendo, me reprehendere audebit*: quæ verba etiam à noſtro ſub initia *alterius Scepſis* citantur (& multò meliùs quidem, quàm hæc alia eiuſdem Auguſtini, *magiſtros autem, &c.* quæ, vt puto, non intellexit; cùm fortaſſe totum *Prologum* non perlegerit.) Vbicunque igitur ſententiæ ſuæ mutationem ipſe confitetur; conniuebo; locos verò, in quibus, etſi illam mutat, mutationem tamen diſſimulat, necnon locos, in quibus, dum eandem mutat, mutationem ipſe non aduertit, hos quidem breuiter notabo, incipiendo primùm à primis. Scripſerat igitur in ſua *Diſſert. de Rec. Med. Stud. Hippocrates verum ſtudium medicum innuebat, dum obſeruabat progreſſum morborum, medicationes, & effectus. Inchoauit ille, ſed continuatio deſideratur.* Senſit Præceptor tuus, hæc vltima verba non minùs huic noſtræ ætati iniuria eſſe, quàm falſa, & facilè conuincenda. Idcircò in *Poſth. Reſp.* pag. 353. miſſis illis Medicis, qui

poſt

post Hippocratem istud inchoatum ab ipso studium continuarunt sæculis superioribus; admonuit, hac ipsa nostra ætate non defuisse, qui centurias, & integra volumina medicarum historiarum conscripserint, aut easdem suis Praxibus inseruerint, quos inter enumerauit *Willisium*, *Deckers*, *Ettmullerum*, *Bartholinum*, *Bonetum*, *Wepferum*, *Blancardum*, *Mangetum*, *Kerckringium*, *Sydenhamium*, *Waldschmidt*, *Stalpartium*, *&c.* Quid noster tot præclaris, & tam notis omnibus testimonijs conuictus? Mutatne sententiam? Fateturne errorem, propriamue præcipitantiam reprehendit? Sententiam quidem (nam necessarium est) mutat; sed tantùm abest, vt errorem confiteatur, vt potiùs in laudatos Authores, atque adeò in Magistrum tuum insurgat; dum p.466. ait, deficere medicarum obseruationum, quot omnino ex mente Baconi indigeremus, *vnum corpus cum diligentia, & iudicio digestum, &c. quod neque vltimi Recentiores compleuerunt, & ideò malè referri ab Antagonista Willisium, Deckers, Ettmullerum, Bartholinum, Bonetum, &c. à quibus opus hoc non est absolutum*; & alia, &c. Verùm, quidquid sit de huiusce operis complemento; interim, vt vides, ipse cogitur dictum mutare. Scripserat enim, studium obseruandi progressum morborum, medicationes, & effectus inchoasse Hippocratem; *sed continuationem desiderari*. Nunc verò conuictus, illud studium post Hippocratem continuatum esse, & continuari adhuc in dies, ait, idem studium nondum esse completum, nondum esse absolutum; quasi verò desiderari complementum, & desiderari continuationem vnum idemque esset. Similem dicti mutationem cum simili dissimulatione, Authorumque reprehensione coniunctam inuenias in *Vigil.* à pag. 472. ad 477. Cùm enim Præceptor tuus in sua *Resp.*p.355. &c. quædam verba improbauisset ex *Dissert. de Recen. Medic. Stud.* quibus Recentiores Medici ita perstringuntur,

quasi morbosorum corporis fluidorum obseruationem negligenter omitterent; cùmque aduersùs hæc potissimùm verba complurium nomina adduxisset, qui hac nostra ætate circa naturalium fluidorum obseruationem; apparatum nempe præternaturalium fluidorum obseruationi præmittendum; imò circa ipsa præternaturalia fluida se exercuerunt; noster, qui se euidenter conuictum sensit, ita rem Lectori describit, quasi ipse solam fluidorum morbosorum cum sanis comparationem à Neotericis omitti, dixisset; morbosa verò fluida obseruari, & in illis morborum causas ab eisdem inquiri, neutiquam negasset; & sic porrò asserere non dubitat, istam *obiectionem Antagonistæ* ex Neotericis Authoribus *desumptam mouere potiùs pietatem*; & ne cuncta referam; ita concludit, quasi Vir ille istam obiectionem ideò attulisset, quia sua verba intelligere nesciuisset, aut etiam, si Diuis placet, quia *infinita* sibi *detrahendi libidine* arsisset. Et tamen (quidquid iste inter hæc dissimulet) certo certius est, ipsum in *Dissertatione* non solùm scripsisse: *consulerem, vt Anatomia comparata inter fluida sana, & morbosa institueretur*; verùm etiam absolutè addidisse: *quæruntur in denatis viscerum labes, & sanguis, cæterique humores negliguntur; quod est idem, ac inuestigare effectus in partibus solidis, & oscitanter prætermittere causas in fluidis latentes*: quæ potissimùm verba; vt supra dicebam; impugnare tunc intendit Magister tuus. Hæc satis sint de ijs locis, in quibus noster, quamuis sciat, se mutare sententiam; mutare tamen dissimulat. Ad illos modò transeamus, in quibus se sibi non constare, omninò non sentit. In vniuersum obseruaui, quòd vbi agitur de Magistro tuo reprehendendo, atque carpendo, ibi noster plusquàm alibi, solet esse cùm in alijs errorum generibus, tum in hoc ipso inconstantiæ vitio summoperè inconsideratus; Quare, vt modò mihi succurrant huiusmodi repugnantes

loci;

loci; nullos alios mente percurro, quàm illos, in quibus totus eſt in eodem Viro reprehendendo. Inprimis itaque illud ſcias, quod ſupra etiam alicubi indicauimus, nullum errorem in *Poſthuma Reſponſione* vehementiùs, & crebriùs à noſtro carpi, quàm illum, quem eiuſdem *Reſponſionis* proprium eſſe, frequenter confitetur, hunc nempe, quòd Præceptor tuus crediderit, in Medicina procedi poſſe *à priori*. Hoc patet non ſolùm ex Præfatione Opuſculis præfixa; ſed ex toto ferè hoc *Vigiliarum* libro, imò etiam ex huius Præfatione, in qua nempe dicit pagina xxxviij. *Antagoniſtam nimis confidentem fuiſſe, dum in Reſponſione ſcripſit ſe conſecutum fuiſſe cognitionem medicam, & philoſophicam à PRIORI, contra ſe ipſum, ſemper dubitantem, & amicis dubium inſinuantem, & ferè perpetuò ſcribentem naturæ cauſas eſſe penitùs retruſas, & abditas*, & pergit aſſeuerando, quòd in alijs quidem poteſt, & debet aliquid condonari; in hoc verò errore *nihil omnino eſt illi parcendum*. Ita acerrimam quidem, quamuis iniuſtam; vt alibi dictum eſt; cenſuram proponit in *Poſthumam Reſponſionem*; ſed interim tamen ab hac cenſura immunia eſſe declarat, alia *Opera*, quæ viuens Author ediderat. At vix hæc in Præfatione ſcripſerat; ecce tibi in ipſa prima libri pagina, ne Lectores, vt par eſt, credant: vt vt fortè aliquid minùs eodem Authore dignum in *Opus Poſthumum* irrepſerit; alia tamen Opera Authoris præſtantiam ſatis patefacere, atque teſtari; ecce, inquam, noſter oblitus eorum, quæ modò in Præfatione ſcripſerat, & alibi paſſim ſcripturus erat, ſic librum ſuum exorditur. *Occaſione noſtræ Reſponſionis ad Reſponſionem Poſthumam Antagoniſtæ, & attenta lectionis Operum Poſthumorum eiuſdem, animum conuertimus ad alia Opuſcula eiuſdem Authoris impreſſa eodem viuente ad indagandum diſcrimen, quod intercederet inter labores Poſthumos, & non Poſthumos; & ſanè in genere morali hoc eſt ita inſigne, vt*

præ-

prædicta omnia Opera ab vno Parente non videantur esse parta; in genere autem scientifico deprehendimus nullam, vel modicam differentiam. Videnturne hæc verba ab eodem calamo prouenisse, à quo; vt modò ostensum est; tot alia conscripta sunt, tam insignem varietatem *in genere scientifico* inter *Posthuma*, & non Posthuma *Opera* asserentia, atque testantia? Præter hæc legendo comperies p. 247. in ista Præceptoris tui verba, quæ p. 289. *Resp.* occurrunt, *Io non son così inconsiderato, & ardito, che pensi, che l'ingegno dell'huomo sia arriuato a suelare tutti li secreti della Natura; come per il contrario, che con la longa industria, e sagacità non ne habbia scoperti molti, &c.* in ista, inquam, comperies hæc scribi. *Aut loquitur Antagonista de anatomicis inuentis, aut de therapeuticis. Prima casui potiùs, & fortunæ, quàm industriæ, & sagacitati debentur -- nam ratiocinatio nihil aliud est, quàm diligens, & considerata faciendi aliquid, aut non faciendi excogitatio -- quapropter errat Antagonista, dum scribit sagacitate partes detegi -- an glandula, vel vas detegi debeat, hoc non ex solertia, & sagacitate dependet, sed casu; & fortuitò euenit; quomodò potest ratiocinio inueniri id, de quo ratiocinium haberi nequit? quoniam inuentio est propriè illius, de quo nec speratur, nec putatur -- Quicquid dictum est de anatomicis inuentis, illud idem verificatur de therapeuticis, &c.* Omitto dicere, an hæc censura vero innitatur, necne; & præsertim, num quando etiam in multos alios Inuentores conueniret; conueniat itidem in Magistrum tuum, cuius inuentiones ratiocinio potiùs quàm fortunæ magnam partem deberi, norunt omnes, qui ipsum norunt: & permitto in præsentiarum, vt noster illa Præceptoris tui verba impunè castiget; sed interim vide, quid scribat p. 281. in alia eiusdem Authoris verba, hæc nempe, quæ habentur in Resp. p. 299. Per suelare le cose della natura, *è necessaria vna gran fatica, e giudicio, concesso a pochi*.

Pro-

Profectò vt hæc etiam verba vtcunque carpat, & reprehendat; non aduertit, an illa, quæ in hac *Vigiliar.* pagina scribit, cum superioribus conueniant, necne; ait enim: *maximè errat Antagonista in sua suppositione sibi persuadens ad detegendas res ignotas sufficere magnum laborem, & iudicium paucis concessum, cum potissimùm discursus requiratur, hoc enim actu rationis, per id, quod est notum, deuenimus in cognitionem ignoti.* Satis scripta hæc sint de illa inconstantia, quæ in huiusce hominis sensis, & cogitationibus occurrit, maximè cùm alias eiusdem contradictiones superiùs indicauerim, & alias quoque sim inferiùs indicaturus. Nunc aliquot etiam habe de ista varietate, atque inconstantia, quæ in eius moribus (quantùm quidem ex eius Scriptis intelligere valeo; aliundè enim prorsus ignoro) non sinè pari admiratione deprehenditur. Pag. enim 118. quibusdam Casaubono surreptis verbis, ità scribit. *Si ad rectæ rationis obrussam facta sua direxisset Antagonista, & non ad gustum illorum, à quibus laudari cupiebat, nec suam laudauisset in Vita propria, nec alienam impugnauisset operam; hinc Vates cecinit;*
„ Nec tua laudabilis studia, nec aliena reprehendes.]„
Nolo, te aliud in hisce verbis (in quibus non pauca sanè notari possent) hìc loci animaduertere præter hoc vnum: Vt nempe libido vbique redarguendi Præceptorem tuum, rapiat hunc hominem ad illa adducenda, atque asseueranda, quæ omnino ipsum dedecet commemorare. Ne enim hìc quæram, an istius hominis Scripta philautiam spirent, propriamque commendationem; nonne prope omnibus suis Opusculis, potissimùm verò hoc ipso *Vigiliarum* libro, in quo aliena studia passim reprehendit, carpit, deridet; adductis hìc loci, atque probatis Poetæ, & Rationis ipsius monitis apertissimè repugnat? Verùm hoc omnino habet hic homo. Scribit in Opusculis pag. 427. *Nos sempèr aliorum veneramur placita, &*
alio-

aliorum obseruationibus plurimùm tribuimus, item pag. 337. *In hoc biuio ob reuerentiam Authorum, quò mihi sit vergendum, nùnc non determino*. Legat aliquis modesta hæc verba, & Authorum veneratione plenissima; nonne hominem hunc, si quem alium, vitaturum esse, iudicabit, quidquid Doctorum Hominum, qui nobiscum suorum fructum laborum communicarunt, existimationem imminuat, nedum despicentiam, & contemptionem præ se ferat? Legat idem *Vigiliarum* librum, aut etiam eadem Opuscula; quid crebriùs, quid frequentiùs offendit, quàm reprehensionem, atque contemptum; ne dicam derisionem, & contumelias; eorum Hominum, quibus ætates omnes; nostra verò inprimis, quam non solùm docueruut; sed ornarunt, & ex parte adhuc exornant, æternùm debebit? Offendet enim, atque inueniet in *Vigil.* p. 156. 504. 162. 160. &c. quandam Clarissimorum hominum Malebranche, & Peyeri sententiam *perniciosam, & erroneam iudicari*, eandemque dici *inuoluere posse damnatum Origenis errorem*, & *potiùs excitare risum, quàm admirationem*; *Authores verò ipsos in præsenti controuersia esse configendos*; nominatim primum *nimis pronum ad nouitates mirificè se confundere*: & quod peius est; inueniet, dici hæc omnia propter leuissimas, & nemini non solubiles ratiunculas, speciatim propter illam, quæ legitur p. 158., tametsi hæc inter alias visa est Authori suo *non infimi esse roboris*, & *euidenter* arguere, *hypothesin adductam à Malebranche euidentissimè falsam esse*. Inueniet p. 127. de vtilissimo Rei Medicæ, & præsertim Anatomicæ Authore willisio ita scribi. *Plurimi sine examine Willisium suspexerunt; cæterùm examen admirationem minuit, & verborum dempto lenocinio Author nudus remanet, quod de fermentatione, & febribus agentes in nostro Archygimnasio demonstrauimus*: quæ verba & quia generaliter scribuntur, & quia *demonstrationem* crepant (sicuti proximè

ximè allata *euidentissimam euidentiam*) tantùm conueniunt huic homini, qui aliorum confidentiam, & præcipitantiam vbique carpit, quantùm alia, quæ superiùs Num. IV. produximus. Inueniet p.606. affirmari, quendam Cl. Kerckringij locum *admirationem parere*, Præstantissimum Authorem in eodem procedere *nimia facilitate, & nullo examine*, denique nostrum hominem *non posse eiusdem illationes non animaduertere, &c.* Interim tota fortasse admirationis, & animaduersionis causa in hoc consistit, quòd noster reprehendendi auidissimus non attenderit, aliam vim habere hæc Authoris verba *videntur*, & *videri visum est*; aliam ista alia *clarè detexi*. Inueniet p. 624. pronunciari, alium Authorem *irridendum esse ob hyperbolen, adeoque nunquam integram mereri posse fidem*; & dicaciora adhuc in eundem Virum pag. 633. & 634. quem tamen (ne aliud, & de alia re dicam) fieri potest, vt noster bene non intellexerit, vbi plusquàm millena millia quadraturarum, quæ ille, vt numerum exprimeret innumerabilem, scripserat, se per microscopium in muscæ oculo detexisse; ad litteram intellexit, negando, hanc enumerationem esse possibilem. Sed quid dicam de Clarissimo Petro Regis, quid de Celeberrimis *Bibliothecæ Anatomicæ* Collectoribus, quos & in Opusculis, & in hoc ipso *Vigiliarum* libro reprehendere, præ se contemnere, & conuicijs insectari non cessat? Si noster audiatur pag. 188. & 181. Opusculorum; *Petrum Regis nunquàm Anatomen exercuisse liquet*, & *modicè versatum fuisse in lectione Veterum, & Recentiorum Medicorum, ac Philosophorum*: quod secundum ex parte etiam in Eruditissimum Bohnium ibidem iactatur p. 160.. *Bibliothecæ* verò *Anatomicæ* Collectores; si *Vigiliar.* p. 352. attentè legatur; ità ex vna parte describuntur, quasi nihil proprij eidem *Bibliothecæ* inseruissent, & ex altera ita nostri Scripta exaltantur, quasi hæc pro maiori parte centones, ímò obuiæ

cuiuſque ſententiolæ collectiones non eſſent. Quid, quòd ibidem videtur noſter penè iraſci famæ, atque exiſtimationi eorundem Doctorum, & ipſis quaſi velle detrahere, quod in Opuſculis non auſus fuerat negare, titulum nempe *Virorum benè de Republica Anatomica meritorum*? Rurſus in Opuſculis p. 179. quid ſibi volunt hæc verba eorundem Doctorum occaſione prolata: *Quicunquè medentur nobiſcum ſunt, de alijs non curamus, nec quidquàm quærimus*? Num Viri Experientiſſimi Collectores *Bibliothecæ Anatomicæ* non medentur? Num tantorum hominum iudicium planè contemnendum eſt? Eoſdem verò non ſolùm ità contemnit; ſed multa in ipſis reprehendit, inter quæ hanc eorum *Bibliothecam* ex omni parte, exempli cauſa *Tractatu de Cornuum vegetatione, Modo dealbandi oſſa pro Sceletopæia, &c.* Medicis practicis non inſeruire; quaſi verò; ne aliud dicam; ijdem polliciti eſſent, aut omninò debuiſſent in illa *Bibliotheca* colligenda Clinicorum tantummodò rationem habere. Interim dum quidquid ſibi in mentem venit, hoc omne in Præclariſſimis Doctoribus ſumma cum ſeueritate reprehendit; in turpiſſimum ipſe, & nunquam ſatis reprehendendum errorem incidit, ſimilem tamen multis alijs, in quos eundem incidiſſe, ſuperiùs oſtendi; ſcilicet Viros, quos carpit, non intelligit; & quod peius eſt; de ipſis conqueritur, & ad eoſdem carpendos inſurgit ob hoc ipſum, quia non intelligit. Credit enim, certa quædam verba ab eiſdem ſuæ *Diſſertationi de Rec. Medic. Stud.* in *Bibl. Anatom.* præfixa; cùm reuerà nihil aliud ſint, quàm continuatio expoſitionis ſui argumenti; eſſe *cenſuram* ſuæ *Diſſertationis*, eidemque præfixa eſſe, vt oſtendatur, *quid ſentiendum ſit de eadem*, & ad ſe *caſtigandum*, atque accuſandum. Porrò hoc aiunt illi Doctores: in prædicta *Diſſertatione* minimam Recentiorum Anatomen ob id *etiam reprehendi, quòd acriora quadam, & ſublimiora aliàs*

inge-

ingenia, quorumque opera medicina in ijs, quæ habet ad vitam & valetudinem facientia, multùm illustrari posset, multiuariæ considerationis amœnitatibus præoccupans, velut alius lotos arboris fructus, in officij sui, ac curriculi in bonum publicum, societatisque commoda perficiendi, plenam obliuionem præcipitet; quod est ipsissimum nostri hominis sensum, vbi in eadem *Dissertatione* inquit, talia Recentiorum studia *hoc habere in se pessimum, vt dulcedine quadam animos remorentur, qui tandem post iacturam, cognoscunt hæc omnia pro medicina practica esse occupatissimas inanitates, & acumina irrita*. Nihil aliud itaque volunt Viri Præcl. adductis superiùs verbis, nisi vt hoc, & similia hominis sensa fideliter exponant. At noster ita eadem verba intellexit, quasi quod refertur ipse in Recentiorum studia dixisse, in ipsum reuerà, & in ipsius *Dissertationem* diceretur. Quare in adducta verba ita scribit in *Opuscul.* p. 176. *Sanè si prædicti Collectores attentè primam nostram legissent Dissertationem, ac secundam considerauissent, vtiquè nos plenam obliuionem præcipitare non dixissent; nimis enim præcipitanter, nimisquè intempestiuè in suo festinarunt iudicio*. Cur nimis præcipitanter, & in quo iudicio? Istud enim argumentum, siue enarratio est; non iudicium; Nec plenam obliuionem præcipitare te, dixerunt; sed in plenam obliuionem Solertiorem Anatomiam præcipitare, ex te retulerunt. Oh infelicem Doctorum Hominum conditionem! illi nostri hominis sensa eloquenter enarrant; noster verò nihil distinguens inter enarrationem, & iudicium, de non intellectis, tanquam de infensis sibi verbis conqueritur; & totus in eo est, vt Viris nil tale vnquam promeritis conuicietur, quasi par pari relaturus. Quoniam itaque nullum Neotericis Authoribus honorem habuisse inuenitur; saltèm obseruare posset Lector, summam illum erga Antiquos Medicinæ Scriptores reuerentiam adhibuisse. Verùm ne mul-

tis te fatigem; ex duobus tantummodò eiusdem locis, quantùm veteres coluerit Scriptores, ostendam. P.278. in *Vigil.* quidam Cœlij Aureliani contra Empiricos efficax locus apertè dicitur *nihil continere, nisi impetum medici Methodici contra medicum Empiricum; Impetum autem apparere ex nullo Cælij fundamento*. Ampliùs scribitur, quòd *si Cælius Aurelianus candidè retulisset opinionem Empiricorum, non dixisset esse experimentum id, quod non est*. Ego quidem in Aureliano sic lego *si hoc experimentum dixerint*; non autem *hoc experimentum est*. Sed facilè fieri potest, vt tanta, in tanto Authore reprehendendo libertas à consueto malè intelligendi vitio non disiungatur.

At quanta in Galenum, aliosque eximios, Rationem Experientiæ anteponentes, Scriptores loquendi, imò obloquendi audacia, & confidentia in *Vigilys* apparet p.567.! *Hoc*, scribitur, *ita falsum, & enorme, vt nihil peius dici possit, licèt Galenus, Fridericus Hofmannus, & alÿ plures hoc referant*. Quæris, cur ita falsum? cur ita enorme? Quia (inter alia, inquit) *ratio sinè experientia ab omnibus reÿcitur, experientia sinè ratione ab omnibus admittitur*. Videturne iste esse austerus ille Censor, qui vniuersales aliorum loquendi modos tam rigidè alibi reprehendebat? Quomodò enim apud omnes, apud omnes, inquam, tantùm præualet Experientia Rationi? Vide ipsum hunc hominem; nedum alios; sibi ipsi de more repugnantem. Vno enim non ampliùs versu interposito, statim scribit: *& quoniam magis rationi, quàm experientiæ attribuerunt innumeri Doctores*. At quis vnquam sui dissimilior? quis infirmior? quis in scribendo inconstantior, aut leuior fuit? Itaque Lectores, non solùm Viros magni nominis & Neotericos, & Antiquos contemni à nostro, atque acriter reprehendi inuenientes; sed, quod multò peius est, leuissimis de causis id factum comperientes, se ipsos singuli admirabundos interrogabunt:

bunt: ſitne hic ille idem homo, qui *ſemper aliorum placita venerari*, imò *ob reuerentiam Authorum nolle ſe aliquid determinare*, alibi ſcribebat? Et tamen modò omiſimus acerbas reprehenſiones, & intoleranda dicteria in alios Cl. Viros coniecta, nominatim in Magiſtrum tuum, qui apud te, Antonine Doctiſſime, & pleroſque omnes, plures Authores vnus valet, vtpote quæ alibi memorauimus, aut ſumus etiam pro aliqua ſaltèm parte memoraturi. Verùm age, vno vel altero, Morum huius noſtri inconſtantiam adhuc probemus. *In Vigilijs* pag. 638. in Religioſum quendam Virum, qui in re quadam medica ſecum non conuenit, illud Horatianum iacit. *Quod medicorum eſt. Promittunt medici; tractant fabrilia fabri.* Hoc quamuis in Eruditiſſimum Virum dictum nollem; fac tamen, Antonine, iure eſſe dictum. At Medicum, qui talia dicturus erat, decebatne eundem paſſim in prouinciam intrare non dicam Grammatici, Rhetoris, Hiſtorici, omniſciè eruditi; ſed Aſtronomi, ſed Duellatoris, inprimis autem Theologi? Quæ maior inconſtantia, quàm ita ſe gerere, vt multò digniùs Religioſus ille Vir retorquere poſſit in Medicum quod Medicus iecit in Religioſum? Denique p. 329. occaſione cuiuſdam allati contra ſe exempli deſumpti ex Operibus Ettmulleri, ita ſentit de huius Scriptoris authoritate. *De Ettmullero non ſumus ſoliciti, quia eſt rhapſodus.* Demus, Antonine, Ettmullerum eſſe collectorem, demus etiam (quoniam noſter ſic loqui amat) eſſe *rhapſodum*, demus, non debere tandem nos de eius authoritate eſſe ſolicitos. Sed poſtquàm hoc dedimus; videamus, an ſaltèm in hoc vno noſter ſibi conſtiterit. Non adducam tibi paginas 129. 139. aut 142. &c. Opuſculorum, neque paginam 115. &c. *Vigiliar.* in quibus omnibus locis ſolicitè recenſetur, & diligenter, quid docuerit, quid opinatus ſit, aut quomodò ſeſe geſſerit Ettmullerus: hoc tantùm

dicam,

dicam, in eisdem *Vigilijs* p. 340. pagina scilicet satis illi proxima, in qua noster scripserat, se de Ettmulleri authoritate non esse solicitum; ita illum eundem omnino scribere. *Ettmullerus distinctionem ad praxin necessariam adducit, quando videlicet prædicta vrina sit hypochondriaca, & scorbutica, & quando tabida; istius Doctoris authoritatem consultò hic afferimus, &c.* & continuò prolixus Ettmulleri textus ad verbum adducitur. Suntne hæc hominis satis sibi constantis? Suntne hæc illius hominis, qui aliorum inconstantiam etiam vbi non erat, & sacramento affirmari posse, dixit, & dicterijs, atque conuicijs amarissimè reprehendit?

VIII. Postquàm in tot, & tam grauium errorum generibus ostendi tibi, Antonine Doctissime, vt ab initio pollicitus sum, hominem hunc nostrum multis in locis absque vlla ratione in Magistro tuo accusauisse quæ iure merito in ipso, qui accusat, reprehendi possunt; finem imponerem epistolæ huic meæ; maximè cùm multò plura, quàm opus esset, & ipse vellem; scripsisse me, sentiam; nisi modò mihi succurreret illud errorum genus, quod initio potiùs succurrisse oportebat; adeò graue est, adeò multos præbere mihi potest locos, ex quibus duo illa, quæ promisi, & quæ modò memorabam, luculentissimè demonstrentur. Porrò is error in ratiocinatione consistit, illeque est, qui, malè vnum ex altero deducendo, siue malè discurrendo, procedendoque committitur. Quando igitur talis, tantique erroris recordatio post tot alia iam scripta nunc subit; plura quidem ad eundem attinentia, breuitatis causa, omittere possum; omnia, ob rei grauitatem, non possum. Itaque vt ab ijs locis, iuxta institutum nostrum, initium capiamus, in quibus Præceptori tuo hic error immeritò obiectus est; Pag. 101. *Vigiliar.* in quendam locum ex *Dissertatione de Polypo Cord.* hæc scribuntur. *Alios animaduertere rogamus*

modum

modum loquendi Antagonistæ, dum confirmationem proponit; „ *dicit enim in polypo pelliculas multiplices* „ ita ad inuicem „ approximari, vt in solidum corpus compingantur; „ *postea subiungit in huius confirmationem Borellum obseruauisse membranosas tunicas* „ absque continuitate. „ *Nolumus igitur in hisce, & similibus diutiùs immorari, etiamsi arguant modum, quo Antagonista noster semper processerit.* Longum nimis esset hunc totum *Dissertationis de Polypo* locum, pag. 315. occurrentem, ad verbum adducere. Itaque summatim hic dicam: Duo potissimum eo in loco primùm scribit Magister tuus. Alterum est, Polypos componi ex multis pelliculis alijs super alijs extensis; Alterum, Hasce pelliculas ideò in solidum posteà corpus compingi, quia accedente & mutuo fibrarum contactu, & excurrentis sanguinis pressione, & ictu, ad inuicem approximantur, & simul vniuntur. Affert deinde in huius Doctrinæ confirmationem obseruationem Borellianam, Polypi ex membranosis tunicis ad inuicem absque continuitate superpositis, &c. *ita vt tota eius structura brassicam capitatam æmularetur.* Quæ obseruatio; vt vides; vtcumque confirmat, quod ille docuerat: primum, quia perspicua istius Polypi structura (maximè cum alijs idem suadentibus vnita) Polypos ex multis superpositis constare pelliculis, probabiliter persuadet; secundum verò, quia hoc in casu non accedente mutuo pellicularum contactu, neque sanguinis debita pressione (hic enim non circumpremendo, alteram particulam alteri vniebat; sed intercurrendo, potiùs separatas seruabat) atque adeò non positis assignatis causis, neque attributus hisce effectus, scilicet pellicularum in vnum solidum corpus coagmentatio secuta est. Nec res sanè indiget hac mea explicatione. Statim enim post enarratam Borellianam obseruationem, eadem iam per se scripsit Magister tuus, addendo. *Ex hac historia patere potest Polypi*

pro-

productio ex superpositis membranis, quarum interstitia si sanguis suo motu patula reddat; seiunctæ, foliorum instar, permanent; si autem vnico canali per medium aperto rectà pertranseat sanguis, vel exteriora Polypi suo impetu vrgeat; concrescit velut lapis. Quare cùm suam mentem clarè adeò ipse aperuerit, & quid, & quomodò per illam obseruationem confirmare intenderit; mirandum sanè esset, rem ita concisè in *Vigiliar.* citato loco Lectoribus exponi, vt quæ laudabilis confirmatio est, absurda illatio videatur; nisi consimilia superiùs artificia adnotassem; imò nisi peiora adhuc, statim essem adnotaturus. Et primùm, nescio, an huc reducendum sit quod scribitur pag. 461. „ in *Vigilijs. Dixit Antagonista noster*. „ Verùm vno „ verbo totum complectantur, „ *quod falsum est, quoniam immediatè aliam adducit conclusionem à superiori valdè differentem, & bis verbis exprimitur.* „ Porrò credere, „ quòd medicina dependeat, &c.] „ Nam in *Posth. Resp.* pag. 350. hunc locum ita legi, certum est. *Verùm vt vno verbo totum complectar; Medicina rationalis continet, &c.* imò in legitimo Authoris textu, nempe italico, ita legitur. *Ma finalmente la medicina rationale, &c.* Nescio pariter, an hìc tibi indicem, in *Vigil.* p. 416. & 417. ita scribi. *Peius est, quod immediatè exarat Antago-* „ *nista*, „ remediorum materia, & medica instrumenta „ inseruire possunt pro nouis indicationibus; „ *sumus extra lyram; nouæ indicationes deberent desumi ex nouis, & minimis obseruationibus anatomicis, non ex materia remediorum, & instrumentis medicis, de quibus nunquam à nobis mentio facta fuit; & quæ in ordine ad morbos descriptos non sunt indicantia, sed indicata; quare oportet liberè confiteri, Responsionem esse perennem confusionem -- Hinc ex suis malè concinnatis cogitatis deducit in syncope cardiaca, modò præscribi sanguinis missionem, quæ seculis elapsis omittebatur.* Contra quem locum *Posthumæ Responsionis* hæc putas dici?

dici? Contra illum dicuntur; in quo ostenditur, posse Neotericos multùm Praxim iuuasse, etiamsi *medicinarum*, nominatim *cardiacarum syllabo nihil addiderint*; dummodò nouas attulerint indicationes; his namque tametsi per antiqua remedia satisfiat; vsus tamen talis remedij in tali morbi circumstantia; vt ita dicam; nouus est. Locus est p. 334. *E benche non si fossero trouati rimedij specifici cardiaci, la materia de' rimedij, e gl'instromenti medici possono seruire per le nuoue indicazioni; onde osseruo, che nelle sincopi cardiache si caua sangue, e in altro tempo era vn sacrilegio il parlarne*. Sed in proximè adducto *Vigiliarum* loco potiùs ex oscitantia, quàm ex alia ratione facilè peccatum fuit; vt testantur illa verba, quæ; vt noster diceret; sunt verè *extra lyram*, nempe *noua indicationes non debent desumi ex materia remediorum, & instrumentis medicis -- quæ in ordine ad morbos descriptos non sunt indicantia, sed indicata*; hæc enim proueniunt à perperàm intellectis latinæ Versionis adductis verbis, *inseruire possunt pro nouis indicationibus*. At ex alia longè causa peccatur p. 151. ex qua cùm multa afferri possent; nos hæc tantùm; breuitatis causa, afferemus. *Constat Antagonistam nostrum concludere ex præmissis, quæ destruunt suas Conclusiones; & porrò negatum commercium inter glandulas (Lienis) & arterias -- euidenter negat, quicquid asseruit, ita vt curiosior procedendi modus apud aliquem Authorem non legatur -- Antagonista non probat glandulam -- & tamen glandulam definit; quid itaque venustius excogitari potest? negat idem commeatum inter arterias, & suppositas glandulas -- & deinde concludit glandulosam naturam, & separationem*. In tam paucis verbis duo saltèm animaduerto, ex quibus Præceptoris tui sententiam malè hìc referri, satis superque constare potest. Nam primò. Scribit iste de Liene p. 304. *Hucusque sensu assequi nequiuit iniectis liquoribus commercium inter glandularum interiora, & arte-*

rias, quæ exteriùs veluti capreoli serpunt, & (vt immediatè superiùs) *quæ totum Lienem peruadentes extremis finibus desinunt in has copiosissimas glandulas*. Noster verò ita refert: *negat commercium inter arterias, & glandulas*. Negat inter arterias, & glandularum interiora; non inter arterias & glandulas. Sed quid dico ego, negat? Dicit, se ad illud vsque tempus, sensu, & per viam iniectionum hoc commercium assequi non potuisse: quod; vti videtur; non omnino desperat aliquando se assecuturum; tantùm abest, vt absolutè, & secundùm rationem illud neget. Secundò. Tametsi hoc commercium, quod modò ostendimus non negasse, absolutè negauisset; falsissimum est, ipsum ex hoc negato commercio concludere *glandulosam naturam*, *& separationem*. Nam ipse difficultatem probandi hoc commercium agnoscit potiùs, vt par est, pro difficultate in concludendo glandulosam naturam, & separationem; vt patet ex cap. *6. de Liene* p. 304. & 305. quare hanc ibidem difficultatem pro viribus conatur diluere. Cæterùm eius præmissæ ad id concludendum longè aliæ sunt; vt cuilibet, & tibi præsertim, Antonine, manifestum est; suntque eædem variæ, & multæ; quanquam quod de separatione concludit, non *conclusionem*, aut *definitionem*; sed coniecturam appellat. Igitur, si prædictum commercium non negat, & quod consequitur, si ex negato hoc commercio glandulosam naturam, & separationem minimè deducit, sed, vtì dictum est, aliundè coniectat; reliquum est, vt falsum illud sit, quod noster consueta securitate constare, affirmabat, nempe quod Magister tuus hoc in loco *concludat ex præmissis, quæ suas destruunt Conclusiones*. Vnum pariter adnotasse sufficiat ex p. 388. hoc videlicet. *Obseruatur Aduersarij conclusio sine connexione cum præmissis*;
„ Celsus erat nobilis Romanus, & Iurista, ergo aduer-
„ sarius rationalis medicinæ, quam Græci docebant.]„

Vi-

Videamus primùm, quæ fuerint legitima Magiſtri tui verba. *Celſo era nobile Romano, e leggiſta, e per conſeguenza poco amoreuole della medicina rationale, che s'inſegnaua in Grecia*. Ita omnino Magiſter tuus in ſua Reſp. p. 329. Oſtendendum mihi nunc eſſet, hanc deductionem ſufficienter cum præmiſſis connecti: quod ſatis, opinor, præſtarem, ſi oſtenderem, Græcos, Celſi ſaltèm temporibus, Eruditis Romanis odio fuiſſe, Medicos verò Iuriſconſultis; ſtatim enim veriſimiliter conſequi videretur, dignius Græcorum, & Medicorum ornamentum, Medicinam dico Rationalem parum Erudito Romano, parum Iuriſconſulto, parum conſequenter Corn. Celſo gratam eſſe debuiſſe. Sed puderet me vtrumque illud oſtendere: primum, quia quiſquis in Romanorum, quos probabiliter aiunt, Celſi tempore vixiſſe, nominatim in Iuuenalis lectione vel modicè verſatus eſt, quantùm Græci Doctis Romanis inuiſi tunc eſſent, ſatis ſuperque cognoſcit; ſecundum, quia pleriſque ſaltèm Iuris Doctoribus id inſitum, imò ingenitum prope eſſe, nemo non nouit, vt Diuino iuſſu honorandos Medicos, vt Sacram Medendi Scientiam, quam ſuis vſitatioribus iſtis Legibus tantùm præſtare apud mortales intelligunt, quantùm vita pecuniæ præſtat; omni ingenio, omni ſtudio, omni conatu deprimere tentent, &, ſi Diuis placet, etiam traducere. Etenim vel noſtro hoc ſæculo, quo Rem Medicam tanto incremento, tanta dignitate, atque ſplendore; Summorum Hominum Ingenio, & Studijs, cura Regum, & Imperatorum, conſenſu, & prope dixerim ope, atque auxilio ipſius ſe ſe latè detegentis Rerum Naturæ, ornatam, amplificatamque conſpicimus; non deſunt Iuris Doctores, qui de eiuſdem Nobilitate male loquantur. Hinc enim aduerſariorum Medicinæ obiectiones, ſiue potiùs conuicia, indè verò reſponſiones deſcribunt; ſed quantùm illas diligenter, tantùm iſtas oſcitanter

tanter adducunt: quod etsi refundi posset in historicæ eruditionis, vnde neruosæ responsiones eruerentur, ignorantiam (audio enim ab ipsis Iureconsultis, nedum ab alijs, hæc quæ dico Scripta varijs in locis reprehendi) ego tamen leniùs, & faciliùs censeo, id totum imputandum esse isti inuidiolæ, quam contra Medicos Iurisconsulti Præceptores sensim paulatimque minimè sentientibus animis instillarint; hanc enim; quidquid dissimulent; non vno in loco hæc Scripta sapiunt; sed de hoc alij viderint. Nos intereà transeamus ad alium Præceptoris tui locum, quem in *Vigiliar.* pag. 55. noster adducit ex *Epistol. de Cerebro* p. 118. *Non desunt sanguinea vasa, quibus tota cerebri substantia peruaditur; nam si fiat cum vniuerso corpore comparatio, si non dimidia, saltem tertia pars sanguinis in caput defertur, vbi cùm ob visceris exilitatem nequaquam absumatur; valde probabile est, percolatum concrescibile serum per fibrulas cerebri, inde in elongatos neruos deriuari; residuum autem in finibus recollectum appensis venis iterum ad præcordia refluere.* Ita inquit Magister tuus. Sed his verbis immediatè noster subiecit: *Huius authoritatis hæc summa est. Dimidia, aut saltem tertia pars sanguinis ad cerebrum defertur, ergo valde probabile est percolari, & fibrari concrescibile serum in cerebro; quomodo probabile est, & possibile in aliquo intellectu humano formari posse similem discursum? in dimidia, aut tertia parte sanguinis nonne sunt innumeræ particulæ, & inter se diuersæ, & magis aptæ ad filtrationem, quàm serum concrescibile? cur illæ reijciuntur, & istud admittitur?* Demus huic homini, talem reuerà esse vim, & summam adducti loci, qualem ipse facit. Quid tum posteà? Ex hac præmissa: Multò maior pars sanguinis ad cerebrum defertur, quàm quæ ad eius nutrimentum requiratur; ex hac, inquam, præmissa; alijs cuicunque notis adminiculantibus; nonne probabiliter consequitur, Ergo per cerebrum separatur

à san-

à ſanguine, & in continuatos neruos amandatur aliqua pars eiuſdem ſanguinis, & illa potiſſimùm, quam per cerebrum in neruos amandari, aliunde habemus indicia? Certè in hac conſequentia noſter neque vllam habere videtur, neque habere debet difficultatem. At ſi ex illa præmiſſa hanc conſequentiam deduci poſſe, non negat; cur negat, hanc aliam poſſe deduci, Ergo valde probabile eſt, ſerum concreſcibile per cerebrum ſeparari, & in neruos amandari; cùm Præceptor tuus antequàm iſtam conſequentiam deducat, ſe attuliſſe indicia, ſupponat, quòd per cerebrum in neruos huiuſmodi ſerum amandetur; atque adeò idem ipſe intelligat per *ſerum concreſcibile*, ac per illam ſanguinis partem, quam per cerebrum in neruos amandari, aliunde habemus indicia. Mirum ſanè eſt, hanc Viri intentionem ignorari, aut ſaltèm diſſimulari ab noſtro hoc homine, qui nempe allata ea indicia paulò ante examinauerat. Sed magis adhuc mirum eſt, eundem alia alibi multò negligentiùs ſcripſiſſe, inter quæ duo iſta mihi videntur non omittenda. Primum. De *Cerebri Cortice* pag. 270. occaſione eiuſdem glandularum *probabile eſſe*, dixerat Magiſter tuus, quendam lapidem in cerebro inuentum, & à Kentmano relatum, cùm ex minimis cinereis ſubrotundis veluti acinis componeretur, *ex petrificato cortice excitatum fuiſſe*, *&* *naturalem eiuſdem glandularum retinuiſſe figuram*. In *Epiſtola* autem *de Glandul.*, *&c.* p. 11. Wepferianam obſeruationem veſicularum, cerebri locum occupantium *probare* dicit eiuſdem *Cerebri glanduloſam naturam membranoſis folliculis congeſtam*. In hæc igitur pag. 37. *Vigiliar.* noſter ita ſcribit. *Lapis Kentmani non erat veſicularis; conſtitutio Wepferiana erat veſicularis; ex oppoſitis itaque obſeruationibus idem deducit Antagoniſta -- quare ſemper nutauiſſe, ſcripta eiuſdem manifeſtant*. Sed quis non videt, ab vtraque obſeruatione idem non deduci? Ex

prima

prima enim glandularum figura; ex secunda materia earundem, & cauitas potissimùm arguuntur. Et quanquam idem ex vtraque deduceretur; quis non videt, vnam obseruationem alteri oppositam minimè esse? Nam cauitatem fuisse in illis lapideis acinis, neque obseruator negauit; neque si negasset; eandem tamen præfuisse, & petrificato succo fortasse impletam esse, & obliteratam, certò negare potuisset. Quis, inquam, ista non videt? Et tamen noster non vidit. Alter locus est p. 507. in hac enim scribitur. *Colores pilorum examinans Antagonista, eosdem deducit ex contento in fistulis succo, vndè & eodem deficiente, vel saltem luxuriante aereo fluido cani, & subalbi redduntur. Obseruetur hic modus loquendi, ac si à defectu, vel abundantia idem effectus oriri debeat*: & paucis versibus interiectis, *Aduertatur vlteriùs, Antagonistam dicere, quòd quotiescunque liber lumini transitus permittitur subalbum oriri colorem. An fortè deficiente, vel luxuriante aereo fluido semper lumini liber transitus æqualiter permittitur*? Rogo te, Antonine; num potuit negligentiùs, num potuit oscitantiùs aliquid scribi? & non loquor hìc quidem grammaticè; nam istiusmodi errores faciliùs soleo condonare; sed dico, hoc in loco tam malè intelligi Magistri tui mentem, vt nusquam peiùs, indèque tot miseras de eiusdem loquendi modis admirationes prouenire. Ita enim hic scripserat in *Oper. Posth.* pag. 126. *Pili diuersimodè colorantur contento in fistulis succo; quin & eodem deficiente, vel saltem luxuriante aereo fluido, cani, & subalbi redduntur. Cùm enim, fistulæ, & ferrumineus succus* (illa videlicet glutinosa materia, qua fistulæ inuicem ferruminantur) *diaphaneitate polleant, si contentus humor luminis progressum impediat, & variè reflectat, pili colorantur; si autem liber lumini transitus permittatur, subalbus succedit color*. Quid melius? quid probabilius dici potuit? Varij colores pilorum sunt à vario contento humore,

more, variè lumen, cuius tranſitum impedit, modificante. Canus verò & ſubalbus color eſt à libero eiuſdem luminis tranſitu, atque adeò aut à defectu prædicti humoris, aut; quod in idem redit; ab aere (qui aliàs ſub forma bullarum inter eundem ſuccum aliquando obſeruatur) ita abundante, vt eiuſdem occupet humoris locum. A defectu itaque, vel abundantia diuerſorum idem deducitur effectus; ab aeris ſcilicet abundantia, & à contenti humoris defectu; Non verò ab eiuſdem rei defectu, vel abundantia idem deriuatur, quemadmodùm noſter malè intellexit, in vnum hæc verba coniungendo *deficiente, vel luxuriante aereo fluido*; vnde admirationes, & interrogationes iſtas ingeminauit, & quod peius eſt, addidit: *Vidimus pilum in ambabus extremitatibus canum, in medio ſpadiceum, & hac obſeruatio eneruat Antagoniſtam*; cùm mirificè hæc potiùs conſentiat cum eius opinione, quæ pilorum canitiem aut à ſucci defectu, aut ab intruſis in locum eiuſdem ſucci aereis bullis deriuat; quorum vtrumque accidere poteſt in vnius eiuſdemque pili ambabus extremitatibus, medium interim aliqua ſucci portione obtinente. Verùm & iſtud, & aliud, magis licet intolerandum, quòd nempe tam perſpicuæ non intellecti Authoris opinioni eorum ſententias longè anteponat, qui pilorum colores *ab inopia, & exilitate caloris*, aut *à coctione, vel cruditate alimenti*, ſi non malè, certè obſcurè deduxerunt, hæc, inquam, illaſque etiam ſuperiores obiectiones homini huic noſtro condonandas cenſerem; niſi per iſtas, aliaſue ſimiles obiectiunculas Eius Viri, quem non intellexit, abſurdum, vt ipſe iudicat, diſcurrendi modum ita crederet ſe demonſtraſſe, vt tertio quoque verbo repetat, *Antagoniſtam ſemper peccare in ratiocinio, ſemper malè procedere, ſemper nutare*; Et in hoc quidem ſenſu inquit pag. 413. *ne mireris, lector, quia in ſchola Antagoniſtæ hac erat conſueta arguendi forma; & con-*

& confirmatur ex suo discipulo, qui . . . Sed reliqua pręstat non transcribere; imò iuuat totum hunc locum omittere; nam eundum hìc mihi esset in encomia, & laudes Celeberrimæ Vestræ Scholæ, Summisque Ingenijs, si quæ alia, Ornatissimæ, vnde non ita citò expedire me possem; tum fusè, & pro Viri dignitate ostendendum esset, Clarissimum hunc Discipulum, qui nunc Magnum, vt nosti, Magnæ Vniuersitatis est Ornamentum, non meliùs fanè, quàm Præceptorem ab nostro hoc homine intellectum esse; quod alioquin per te ipsum animaduertes, vbi perpendes, illum non conclusisse; vt noster hic scribit; *Artem Medicam, rationalis licet specie condecoratam, Empiricam tamen penè totam ob vera Physicæ defectum, hucusque iacere coactam esse*; sed cùm ostendisset, ideò *languere adhuc Medicinam practicam, quia Ars Medica ob vera Physica defectum empirica penè tota hucusque iacere coacta est*; hoc reuerà conclusisse, *Iniurià igitur ab Empiricis increpari Theoricum Medicinæ studium, eosdemque falli, si extra Physicæ pomæria, solùm verò intrà irrationalis experientiæ cancellos, Artis quærunt felicitatem*: quod erat illi demonstrandum, qui *Theoriam Medicam aduersùs Empiricam Sectam* susceperat defendendam, non tamen quatenus eadem Theoria iam à nobis perfectè teneatur (in quo rursus noster de more labitur) sed quatenus perfici, & teneri aliquando potest. Sed hæc obiter; aliò enim; vt innuebam; me cogit studium, & necessitas breuitatis. Itaque ad illud alterum ostendendum transeo: Quantùm nempe sint infirma, quantùmque absurda pleraque nostri huius hominis ratiocinia, qui firmos, rectosque aliorum discursus passim culpat, & in ipsis *pseudomagistralem* (vt ipse ait) *arguendi methodum* fastidiosè detestatur. Sed antequàm eius illationum imbecillitatem ostendam, & prauitatem; iuuabit, opinor, nonnulla eiusdem, vt ego vocabo, axiomata, siue principia

cipia carptim discutere. Hæc enim ipse postquàm aliquot suis rationibus (quibus singulatim immorari non vacat) satìs superque probasse sibi videtur, pro firmissimis habet veritatibus, & principijs, iuxtaque hæc iudicat, atque concludit. Vtile ergo fuerit istorum infirmitatem declarare tum quia cùm principia hæc sua ad tui Præceptoris principia oppugnanda & excogitauerit, & adhibuerit; idem est infirma illa probare, atque hunc sinè ratione pluribus in locis accusatum fuisse, ostendere, quod in hac epistola faciendum suscepi; tum quia principiorum illius hominis debilitate patefacta, plurimarum eius ratiocinationum infirmitas multò maior apparebit, vtpote quæ non solùm in consequentia; sed etiam in præmissis laborare deprehendentur. Vnum ex præcipuis eiusdem principijs illud est: Minimam Anatomen Practicæ Medicinæ nullatenus inseruire. In hanc sententiam pag. 386. ita scribit. *Chirurgus debet necessariò partem cognoscere, sed non ad minimum; vnde fibræ, & filamenta an sint sibi parallelæ, necne -- & alia huiusmodi nihil ad Chirurgum pertinent*. Sed quoniam hìc loci potissimùm loquitur de ossibus; videamus etiam quid dicat pag. 570. occasione ipsorum musculorum. *Anatomia minima*, inquit, *aut distinguit tantùm partes minimas, & istarum ordinem sinè inductione noua substantiæ, vel ostendit errorem præteritum in substantia, istiusque nouam ideam nobis proponit -- Si de primo anatomiæ minimæ modo sermo fiat, nemo vnquam cogitare poterit simile studium praxin posse dirigere; nunquam enim medicus ex consideratione fibrarum cordis hoc, vel illo modo ordinatarum erit melior in morbis cordis, &c.* Quod verò dicit de dispositione fibrarum cordis, id etiam; vt ex vi discursus intelligis; id, inquam, dicit, Antonine, etiam de fibrarum musculorum omnium dispositione, alijsque, quibus minima Anatome easdem distinguit, conditionibus, scilicet inclinatione, rectitu-

dine, &c. imò, vt memineris, iam in Opusculis expresè omnino hoc dixerat pag. 134. *Sanè*, inquit, *non minùs errant, qui quærunt minimorum, & salium figuram, an sit acuta, vel curua, pentagona, vel sexangularis, ac illi, qui fibram esse circularem, vel obliquam, &c. -- nàm hæc & similia ad Medicinam practicam nihil faciunt, & salua omni medendi lege possunt ignorari*. Quod est idem ac dicere, salua omni medendi lege posse ignorari à Chirurgo sectionem in palpebris, fronte, aut alijs partibus instituente, positionem fibrarum earundem; est idem ac dicere, nihil ad Chirurgi directionem, minimam Anatomen tunc esse allaturam, si doceat, quomodò ferrum dirigendo, fibras per longum, non verò per transuersum secabit. Sed; vt in re tam perspicua rationem, experientiam, communem authoritatem contrarium docentes omittam; attendere saltèm noster debebat, suum Gauassettium; quem vt acerrimum Solertioris Anatomes sibi visum contemptorem, in *Vigiliar.* p. 287. produxit; non ausum esse, Anatomen, quæ talia doceat, inutilem iudicare; imò *vtilissimam*, *& maximè necessariam* appellauisse.

Verùm adeò infirmum, adeò absurdum est hoc suum de minimæ Anatomes inutilitate principium, vt dum illud tueri vult, in alia non minùs præclara axiomata erumpat. Sic pag. 345. occasione vsus generici pancreatis, quem saltèm per Solertiorem Anatomen istius ductus &c. inuentricem negare non potest detectum; *Vsum proprium*, inquit, *medici in praxi considerant, non genericum, qui nihil docet in eadem; hoc enim modo non distinguitur hepar à pancreate, renibus, mammis, &c. nam omnes istæ partes separant*. At quomodò vsus genericus nihil docet in praxi? Nonne primùm inuentio veri vsus generici alicuius partis errorem sæpe corrigit, quo hunc, vel illum esse vsum specificum eiusdem partis, falsò credebamus? Hoc verò aliquid sæpe docet in praxi; nam antiquum

dedi-

dediſcendo vſum, multa ſuperflua eſſe remedia, vtplurimum addiſcimus. Sic dediſcendo, hepar ſanguificare, aut lienem eſſe receptaculum melancholiæ; addiſcimus, haſce partes in tot minimè ad ipſas attinentibus morbis ſuperuacanea Localium applicatione non eſſe vexandas (quidquid noſter empirica pertinacia adhuc obloqui per ſuppoſitum iuuamen conetur p. 330., nam rarò ſola hæc Localia applicari conſueuerunt: ita vt ipſa, non verò interna remedia profuiſſe, conſtare non poſſit) Deinde præter hanc antiqui vſus emendationem; profectò nouus vſus genericus per ſe ipſum docet in praxi. Faciamus enim exempli cauſa, ſolum genericum Parotidum vſum nunc primùm innoteſcere. Sciamus tantummodò, Parotides cum Axillaribus, cum Inguinalibus, cum Mammis in ſuo ſeparandi munere conuenire; ignoremus autem quid ſeparent. Nonne illud ſcire ſufficit, vt ſciamus, Parotides glandulas eſſe, atque adeò vt ſciamus, quemadmodùm alias glandulas, ſic Parotides cautè, & cum metu excitandi fiſtulam, aut &c. nobis in praxi eſſe tractandas? Quod dico de glandulis, ſuo modo id dico de ductibus, dico de muſculis, & tendinibus, &c. quorum tametſi vſum proprium ignoraremus, aliquid tamen pro praxi eſſet, ſi genericum cognoſceremus; hinc enim muſculos & tendines, & ductus eſſe, ſciremus, atque adeò vt ductus, & muſculos, & tendines eſſe tractandos. Vſus itaque genericus à Medicis in praxi conſideratur, & aliquid docet in praxi; quare ſi poteſt Solertior Anatome nouos vſus genericos detegere; poteſt eadem, vt in adductis exemplis, praxim iuuare. Neque me quidquam remorantur illa, quæ à noſtro ſcribuntur pag. 574. *Supponatur*, inquit, *vſum, & actionem deprehendi poſſe beneficio anatomiæ minimæ, adhuc pro medicina practica nihil erimus lucrati, quia non ſufficit cognoſcere particulam aliquam eſſe vel muſcularem, vel glanduloſam,*

osseam; sed vlterius requiritur notitia particularis partis, quæ interdum, & fere semper sibi vendicat talem proprietatem, vt licèt conueniat in genere, non conueniat in specie cum alijs; adeoque cum in læsionibus medicamenta debeant esse propria, & specifica saltem maiori ex parte, parum proderit acquirere notitiam partis huius scilicet, vel illius generis in praxi. Non, inquam, hæc me remorantur. Censor enim alienorum processuum loco probandi, quod vniuersaliter probandum assumpserat, *nihil nos ex vsus generici cognitione pro medicina practica lucrari*; vtitur in præmissis hisce particularibus limitationibus *non sufficit, interdum, & ferè semper, saltem maiori ex parte*, & sic ipse concludit, *parum* (ergo aliquid; non nihil) *nos lucrari ex vsu generico*: quod est idem denique, quod nos (intereà) statuebamus. Tantò minùs me remoratur illud aliud suum axioma, quod ita nobis conatur obtrudere pag. 351. *Sylvius de succi pancreàtici generatione læsa, &c. in therapeia nihil proponit, & nouam methodum non ostendit; nam dicit curationem valde similem esse curationi saliuæ lesæ, & omnia ex antedictis pendere, & curam inde petendam esse; quamobrem noui obiecti infirmitates noua remedia non expostulant, sed extenduntur; quod vlteriùs confirmatur, quia si noua glandula, vel nouus musculus detegeretur in corpore, & phlegmone laboraret, curatio phlegmonis extenderetur ad partem de nouo cognitam; vnde praxis non innouatur, nec immutatur, sed extenditur ad partem nouam ex parte nostræ cognitionis*. Mitto dicere, an illatio, per quam deducitur rarum hoc axioma, sit *pseudomagistralis*, necne; an scilicet quia apud Syluium curatio læsi succi pancreatici *valde similis est curationi saliuæ læsæ*, consequatur ita generaliter, *noui obiecti infirmitates noua remedia non expostulare, sed* antiquam praxim *extendi*. Illud dicam. Verum esse; vt paulò ante vltrò innuebam; praxim glandulæ, aut ductus curandi per nouiter inuentam glandulam,

aut

aut ductum non mutari, sed extendi; negandum tamen esse, praxim in vniuersum per id non mutari; etenim; vt in exemplo de Parotidibus; eam partem, quam pro glandula non agnoscentes, alio modo tractaremus, nunc quando glandulam esse, agnoscimus, vt glandulam profectò tractamus. Si igitur Solertior Anatome partem aliquam pro glandula hucusque non habitam, glandulam esse, demonstret; aut si nouam glandulam detegat; cæteris paribus, falsum est, tunc praxim non innouare; atque vt pro inuidiosis hisce terminis proprios institutæ quæstionis substituam; falsum est, *ad arcendos morbos inutilem esse*. Sed hoc suum primum, atque potissimum axioma in alia etiam præclariora hominem rapuit, nominatim in illud: *Neminem posse dubitare, non solùm anatomiam minimam non esse necessariam ad medendum, sed neque crassiorem*. Quo de axiomate cùm supra Numero, ni fallor, quarto mihi videar meminisse, aliaque etiam circa minimæ Anatomes vtilitatem, ibidem, tametsi obiter; addidisse; non ampliùs his te fatigabo; sed transibo ad vim perpendendam alius axiomatis, quod noster passim repetit, & singulariter pag. 296. Postquàm enim ait: *Quæramus, an sit necessarium medico pro vsu partis cognoscendo cognoscere adamussim, & ad minimum structuram partis*, & respondit *negatiuè*; inter cæteras rationes hanc affert, quòd *Medicus debet vsum à philosopho detectum accipere ab eodem, & non detegere, & hoc certum est*; *proinde*, addit, *in hac cognitione semper errat Antagonista, quoniam supponit, quod non debet supponi, hoc est attribuit medicis, quod ad philosophos spectat, & antiquitus anatomiam exercebant philosophi, quibus cessantibus medici coacti fuerunt partes philosophorum, in anatomicis, & botanicis suscipere*. Legistine vnquam, Optime Antonine, verba magis nugatoria? Ego quidem ita censeo, neque Magistrum tuum, neque tot alios, qui legitimorum Partium Vsuum cogni.

cognitionem ad rectè medendum necessariam crediderunt, atque ideò in eisdem Vsibus detegendis sedulò laborarunt, anxios, & solicitos fuisse, vtrùm in illa perquisitione Philosophi, an Medici nomine essent salutandi; illud verò vnicè omnes intendisse, in eadem perquisitione siue philosophica, siue medica, certè se Practicam Medicinam iuuare. Sed, inquit, *Medicus debet vsum à Philosopho detectum accipere ab eodem, & non detegere*. Et ego obsecro; Si vsum à Philosopho detectum falsum esse, deprehendat; debetne Medicus hunc etiam accipere, & legitimum non quærere? An si cessent Philosophi in hac perquisitione, vti cessarunt in anatomica, atque botanica; non æquè cogitur eorum partes in illa suscipere, vt in istis coactus est? Imò; tametsi Philosophi non cessarent in ea perquisitione; esset è re medica, vt ipsi Medici in eadem operam collocarent. Quemadmodùm enim multis de causis vtilior est Medicinæ Anatome à Medico instituta, quàm instituta à Philosopho (quod optimè nouit Magister tuus, qui in *Posth. Resp.* pag. 337. scripsit: *La Notomia ne' viuenti, e ne' cadaueri si fà con più profitto, e vantaggio da' medici, che da' filosofi*) ita Partium Vsuum disquisitio magìs accomodata, atque vtilior Rei Medicæ est, si à Medico instituatur, quàm si à Philosopho. Idem sentio de cognitionibus Mechanicis; nam de his quoque simile profertur axioma in *Vigil.* pag. 438. hæ namque dicuntur *ad praxin medicam non pertinere, & si quadam etiam pertinerent, hoc modo pertinere, quatenus medici reciperent vsum, non autem quærerent rationem vsus*, & subijcitur exemplum dentiforcipis, cuius Chirurgi vsum recipiunt; rationem vsus non quærunt. At quantò vtiliora essent multa chirurgica instrumenta, quantòque aptiùs multæ operationes instituerentur; si idem Chirurgus tot proprijs cognitionibus, quibus Mechanicus destituitur, insuper ornatus, atque instructus; non vsum cœcorum

modo

modo reciperet; ſed in vſus rationem accuratè, & diligenter meditaretur? Noſter verò hæc non videt, hæc non ſentit; ſed pertinax in egregio quodam axiomate, vnde omnia hæc alia dependent, nil niſi ſocordem iſtam ſuam, otioſiſque omnibus gratam Empiricam crepat. Sed, opinor, nil tibi iucundius fuerit, quàm ſi alijs omnibus tranſmiſſis, præcipuum hoc eius axioma de Empiricæ Medicinæ præſtantia, deque Rationalis inutilitate perpendam. Porrò maximum ipſe iudicat argumentum, quo Rationalis inutilitatem conuincat, iſtam interrogationem, quam tertia quaque pagina repetit: Quid conducit hoc, quid conducit illud ſcire ad hunc vel illum morbum perdomandum? Etſi verò in his ſuis interrogationibus non rarò ſeligit hinc cognitionem, indè morbum nihil inuicem connexionis habentes; rem nihilominùs putat ſe confeciſſe, quaſi verò quæ cognitio ad vnum morbum vincendum inepta eſt, eadem ad quemcunque morbum vincendum inepta pariter eſſe deberet. Cognoſces hominis ad hunc errorem procliuitatem ex alio, quod pag. 590. producit contra Rationales, argumento. Scribit enim. *Carteſius ſtructuram oculi deſcribens, vt modum videndi patefaciat, & quo pacto eadem viſui inſeruiat, plurima omittit, & ſuperuacua eſſe fatetur; diſcant alij, quid in medicina ſit dicendum; authoritas Car-*
„ *teſii ſequitur in Tractatu de Homine.* „ Sed quia, *inquit*,
„ ad hunc effectum etiam ſtructura oculi facit, ea hoc
„ loco deſcribenda eſt. Et maioris facilitatis cauſa id
„ efficere paucis conabor, omiſſis data opera minutijs
„ multis ſuperuacuis, quas Anatomicorum curioſitas
„ hìc notauit; „ *docet hæc authoritas ex Carteſio, in philoſophia, cui tantoperè tribuit Antagoniſta, multa anatomica, data opera, eſſe omittenda, & multas minutias eſſe ſuperuacuas; & in medicina, in qua laboramus ad agendum, quæcunque ſubtiliter erunt quærenda, vt praxin exercere poſſimus?*

Vide

Vide abſurdæ illationis errorem. *Carteſius ſtructuram oculi deſcribens, vt modum videndi pateſaciat, & quo pacto eadem viſui inſeruiat, multas res anatomicas ſuperuacuas eſſe, fatetur; ergo docet, multas res anatomicas eſſe in philoſophia ſuperuacuas*. Quia ergo ſuperuacua quædam cenſuit in vna Philoſophiæ particula, eadem in tota Philoſophia ſuperuacua pariter cenſuit? Non enim quodcunque ad modum videndi explicandum ſuperuacuum eſt, idem continuò ad quæcunque alia explicanda eſt ſuperuacaneum; imò ad quædam alia explicanda & eſſe poteſt, & eſt neceſſarium. Multò igitur probabiliùs noſter cenſuiſſet, ſi quemadmodùm quæ in vna Philoſophiæ parte ſunt ſuperuacua, in alijs eiuſdem partibus eſſe vtilia, cognoſcimus; ita quæ in vna Medicinæ parte ſunt ſuperflua, in alia aliqua eiuſdem parte inſeruire poſſe, credidiſſet. Sed aliud profert eadem pagina *magnum*, vt ipſe vocat, *pro ſua ſententia argumentum*. *Medicos primi nominis rudi, & curta, viſcerum notitia, & falſis ſuppoſitionibus, vt aiunt moderni, admirandas curationes feciſſe, &c.* quaſi verò (ne aliquid aliud dicam) aut caſus, aut natura in ægrorum curationibus plurimùm non poſſent, aut illi morbos omnes curaſſent, aut demum (quod ipſe affirmare non audet, nec porrò debet) ea omnia, quæ Rationales nunc ſciunt, ignorauiſſent. Addit huic argumento pag. 565. & 566. aliam rationem, me quidem iudice, nihil magìs efficacem. Multæ, inquit, Rationalium concluſiones ſunt diſcordes, & tamen obſeruatio Clinicorum eſt vna, quare hanc Medicus practicus debet ponderare, attendere, & limitare, & ab hac regi in curandis infirmis. Aſt ego argumentum poſſem ſic retorquere. Multæ Clinicorum obſeruationes ſunt diſcordes, & tamen ratio in ſe eſt vna; quare hæc attendenda eſt; non obſeruatio. Verùm, cùm neque rationem prout eſt in ſe, videlicet perfectam, neque perfectam,

ctam, completamque obseruationem in Medicina habeamus; tantùm ego errarem intereà, volendo, rationem in Praxi attendendam esse; non obseruationem, quantùm reipsà errat alter, contendendo, obseruationem; non rationem in eadem esse attendendam. Vtraque ergo à prudente Medico simul coniungenda est; obseruatio scilicet Clinicorum, & Rationalium meditatio. Nam si Clinicorum augendæ sunt incompletæ adhuc obseruationes (non enim tametsi *natura semper est eadem*; vt noster ait; *& in eisdem circumstantijs semper ostendit eosdem effectus*; non, inquam, adhuc Clinici omnes circumstantias, omnesque effectus obseruauerunt) vel si; vt noster fatetur; Clinicorum obseruationes sunt limitandæ; quomodò absque Rationalium meditationibus, & cognitionibus limitabuntur? An expectabimus, vt ipsa Praxis cum ægri damno nobis illas obseruationes exhibeat, per quas communes obseruationes limitemus? Scilicet an exempli causa expectabimus, vt chirurgicum ferrum in centum ægrorum buccis centum hìc illic fistulas excitando, nobis ostendat, qualis sit ille totus buccarum tractus, in quem ob Saliualis Superioris Ductus excursum absque metu fistulæ ferrum adigi non potest? Anne expectabimus, vt omnes corporis musculi singuli per transuersum dissecti demonstrent nobis per difficilem vulneris conglutinationem, aut per motus huius, vel illius partis impotentiam, iuxta quam directionem sit in quauis corporis parte chirurgica sectio instituenda? An non potiùs præueniemus generis humani pericula, & mutuata à Solertioribus Rationalis Scholæ Anatomicis directionis fibrarum, totiusque situs Saliualis Ductus cognitione, mancas, aut excedentes Practicorum obseruationes augebimus, & limitabimus? Quod verò in duobus hisce exemplis, vtpote clarioribus, consultò hic repeto, idem in multis alijs casibus à varijs partibus Me-

dicinæ petitis vlteriùs possem inculcare; nisi ad te scriberem, Antonine Doctissime, qui non tantùm plura huiusmodi exempla mihi sæpiùs in familiaribus colloquijs attulisti; sed in litteris eruditissimis pridie Calendas elapsi Decembris ad me datis multa alia non absimilia deduci posse, indicasti ex Tractatu quodam de Aure Humana à laudatissimo Vestræ Scholæ Anatomico D. Valsalua Medico Bononiensi, non ita pridem euulgato; ita vt pluribus te hac in parte detinere sit omnino superuacaneum. Sed væ nobis, Antonine. Putauit noster, Practicorum authoritatibus se posse euincere, Obseruationem; non Rationem, Empiricam; non Rationalem in madicina facienda attendi oportere. Væ, inquam, nobis; quia iste qua multa pollet in exscribendo virtute, atque sapientia, & huius, & illius Authoris, & illam prolixam, & istam multò prolixiorem authoritatem vsque, & vsque (quasi nemo præter ipsum libros ,, haberet) larga manu congerendo, ,, tenebit nos, oc- ,, cidetque, nec nisi plenus cruoris cutem mittet. ,, Hac, inquam, ratione væ nobis. Alioqui enim si authoritatibus certandum esset; neque his armis, opinor, nos superaret. Sed ne lassus tot authoritatibus, quas in *Vigilijs* comperies, à mea quoque epistola, alijs textibus adductis, inclementer lasseris; mitto hoc facere, maximè cùm satis iam hoc præstiterit in sua *Responsione* Magister tuus; non quòd ipse (vt noster p. 291., &c. cauillatur) id sibi prodesse, crederet, quod alijs prodesse, negabat; sed quia cum quo homine sibi res esset, satis superque perspectum habebat. An ergo Hippocrates reuerà fuerit Empiricus, quod noster contendit pag. 207., hìc loci non quæram; quanquam scio, Galenum *in Hipp. de Articul. Com.* 3. 28. apertè scripsisse, *Empiricorum impudentiam cognosces, qui audent Hippocratem appellare Empiricum*. Nec pariter quæram, an plurimi alij, minùs

qui-

quidem antiqui Medici; sed tamen celeberrimi, Empiricam nobis commendarint, scilicet an Mathesim, Naturalem Philosophiam, &c. à Practica Medicina remouerint, & soli Theoricæ Medicinæ concesserint, etsi plures mihi suppetunt luculenti, & efficaces eorundem loci, quibus tui Præceptoris sententiam confirmare possem, inter quos memorabile illud Cardani monitum in 50. *Aphor.* 5. *Sect. Nemo sub pæna capitis deberet admitti ad exercendum* (*ad exercendum*, inquam) *medicinam*, *nisi bonus mathematicus*, *dialecticus*, *ac naturalis philosophus esset*. Mitto, inquam, hæc omnia, & tantùm circa vnius Galeni authoritatem; quando noster in hac plurimùm moratus est; vnum adnoto. Si verum est; vt noster sæpe confitetur; Galenum, vt in multis alijs, sic in Empiricæ laudibus, & vituperatione sibi non constare; sed alibi aliter scribere; & si verum est, quod in *Vigil.* pag. 291. proponitur, nempe quòd vbi aliquis Author sibi non constiterit, sed alibi aliter scripserit; *mens Authoris desumitur*, *vbi ex professo agit de illa materia*, *quod maximè aduertunt Doctores*, *quando volunt aperire*, *& expiscari mentem alicuius Doctoris*; si, inquam, hæc vera sunt; cur noster omnes, aut fere omnes, quas adduxit pro Empirica, Galeni authoritates ex illis Galeni libris desumpsit, in quibus Author ex professo non iudicat inter Empiricam, & Rationalem? Vtique, si quid tandem in hac sua controuersia per Galeni authoritates probare voluisset; has trahere potissimùm debebat ex libro *de Optima Secta*, aut ex illo *de Sectis*; non ex illis, qui sunt de *Antidotis*, *de Compositione Medicamentor.*, *de Ratione Victus in Acutis*, *de Locis Affectis*, *de Aliment.*, *de Simplicium Medicamentorum Facultatibus*, *&c.* Verùm, vt Fuchsij verbis vtar (*in Medic. Institutionib.*) Empiricorum *placita*, *vtpotè manifestè falsa*, *& à veritate abhorrentia Galenus in Libro de Optima Secta ad Thrasybulum luculentissimis argu-*

mentis refellit, *& explodit*, *quemadmodùm etiam in eo*, *quem de Sectis ad eos qui introducuntur*, *inscripsit*; Quare noster ex ijs libris, vnde in rem suam colligere Galeni mentem debebat, neque collegit, neque colligere omnino potuit; atque ideò nec potuit per Galeni authoritates probare suum illud de Empiricæ Medicinæ præstantia, & de Rationalis inutilitate principium. Sed iam satìs multa de huius, & cæterorum hominis istius nostri axiomatum infirmitate mihi videor verba fecisse. Quando igitur iam tibi manifestum est, quòd omnia, quæ noster à suis hisce axiomatibus deduxit (deduxit autem quàmplurima) ob eorundem infirmitatem non possunt infirma non esse; reliquum est, vt propter ipsarum quoque deductionum, siue illationum magìs propria vitia multos eiusdem discursus, multa ratiocinia, multa argumenta; vt superiùs pollicitus sum; manca, & imbecillia esse demonstrem. Cùm verò in rem hanc memoriam mihi meam valde maiorem suggerere locorum numerum, sentiam, quàm par est in hac vltima epistolæ parte conscribere; ego illorum multos potiùs indicabo, quàm exponam, multosque etiam prorsus dimittam, maximè cùm plures ex istiusmodi locis superiùs attigerimus, in quibus, obiter licet, manifestos illationis errores indicare non omisimus.

Igitur pag. 66. *Vigiliar.* ex propria ista propositione, *noscunt cordati viri pinguedinem exhibitam in statu salino morboso nihil prodesse*, inferre noster præsumit, ergo naturalis vsus pinguedinis non est, vt (in vasa sanguinea immediatè admissa) salium acredinem temperet. Qua de illatione ne alia dicam; hoc tantùm dico: hunc ipsum hominem, de more sui oblitum, pag. 115. simile argumentum vocare *paralogismum*, asseuerando, *aliud esse quòd aliquid immediatè sanguini addatur*, *& misceatur*; *aliud mediatè*, *& per longas alimentorum vias*: *primo enim modo operari diuersimodè*, *ac secundo*; *quia inprimis vijs*

magna

magna succedit rerum metamorphosis. Dum verò p. 275. ita scribit: *si cina cina non fuisset* ægro *ex arte administrata, febris,* cuius æger modò recidiuam patitur, *non fuisset* priùs *sublata*; necesse profectò est, ipsum vti hac tacita illatione: Cina Cina vtcunque sustulit febrem; ergo ex arte fuit administrata. Verùm si istiusmodi illatio bona est; bonæ erunt hæ quoque illationes: Opium sustulit vtcunque dolorem, aut Opium sustulit vtcunque delirium; ergo ex arte administratum fuit. Sed si hæ illationes bonæ sunt; tunc etiam, quando opium imprudenter exhibitum, dolorem, aut delirium ideò sustulerit, quia vires penitus prostrauerit; tunc etiam bona erit hæc illatio: Opium dolorem, aut delirium sustulit; ergo ex arte administratum est; vno verbo hæc illatio bona erit: Opium ægrum interemit; ergo ex arte administratum fuit. Tu rides; si bene te noui; Antonine, tu, inquam, rides propter egregiam istam, præclaramque illationem. At quantò magìs risu solueris; si addam eius Authorem, vsque adeò istius illationis esse securum, vt eadem attenta scribere non dubitet de quodam, quod per ipsam deijcere credit, Præceptoris tui ratiocinio: *Quare dicendum Antagonistæ illationem maximè claudicare*, & *Multa verbaliter robur habere videntur, sed quando leui etiam ratiocinio discutiuntur; statim concidunt, & multa faciliter dicuntur, quæ veritatem pro scopo non habent; sed vel philautiam, vel aliquam aliam intemperiem, vt opponendi libidinem, vel aliorum contemptum, vel adorationis desiderium, & huiusmodi*. At ego non dicam, quem scopum habeant huius nostri hominis argumenta, & oppositiones: alij hoc viderint. Illud dico, me nunquam in argumenta incidisse, quæ citiùs concidant, quàm sua. Ostendi hoc in modò examinatis illationibus; Videamus vlteriùs, an idem sit de alijs eiusdem argumentis. Et cùm, inter cætera, maiori contentione argumentari videatur ad-

uersùs

uersùs ea, quæ Magister tuus circa Linguæ Cutisue Papillas, nec non circa Glandulosam quarundam Partium naturam edocuit; nonnulla ex argumentis contra secundam allatis hìc breuiter inspiciamus; quæ verò sunt contra Papillas, fortasse inferiùs examinabimus. Glandulosam Corticis Cerebri naturam, & officium multis obiectionibus in *Vigilijs* impugnari, non solùm superiùs diximus; verùm quoque vnam vel alteram ex eisdem reiecimus: nunc aliarum aliquot vim perpendamus. P. 53. & 54. istæ afferuntur. *Immisimus* semel *liquidissimum attramentum in carotides, & vidimus non tingi substantiam corticis, & medullæ*: semel quoque in easdem *immisimus serum concrescibile, & idem, quod suprà obseruatum est, nihil scilicet seri exundare ex cerebro secto. -- Ex his non possumus non reprehendere illos, qui sustinent, in cortice cerebri serositatem filtrari, simulque in complanatas fibras velut in radices propagari*. Demus hìc loci, experimentum ita successisse, vt noster enarrat; imò demus, semper ita succedere, vt bis tantùm ipsi successit; Quid tum postea? An oblitus est eorum, quæ non multas ante paginas, scilicet pag. 23. adhibuerat, *perpetua* nempe *illius in Schola Empirica* sententiæ; *Neque quicquam esse stultius, quàm quale quidque viuo homine est, tale existimare esse moriente, immò iam mortuo*, & *Mortui viscus omne necesse est tale esse, quale mortui est, non quale vivi fuit*? An oblitus etiam est illius rationis, quam dixit, in hanc rem à Rationalibus assignari, *flammam* nempe *vitalem, spiritumque viuificantem, quamdiu micat, omnia, expansa sustinere, in ordinem cogere, à putredine, & corruptione vindicare, eàdem extincta aut ad interitum vergente, concidere, subsidere, & dislocari*? Etsi verò simplicioribus verbis, quàm sunt ista ex Boneto relata, Rationalium poterat mentem exponere; verum tamen est, sublato sanguinis, & spirituum affluxu, multa, quæ priùs expansa erant, subsidere; alia

tamen

tamen minùs, alia magis; præ omnibus autem maximè cerebrum. Quocirca nihil quoque facit illa instantia, quæ citata pag. 54. in idem subiungitur: *In hepate, renibus, &c. ab iniectionibus color proprius immutatur, quia liquor immissus se insinuat per substantiam visceris -- hinc igitur opposito modo discurrentes non possumus cum Antagonista conuenire in ijs, quæ de cortice ab ipso dicta sunt, hoc est admittere non possumus liquores, & sanguinem æqualiter pertransire hepar, renes, & cerebrum, adeòque serositatem non filtrari in cortice, & medulla; quod ipsum valde probat contra propugnatores succi neruei, de quo si sanitas, & otium aderit, nostra vota proponemus*; Non enim substantia hepatis, & tantò minùs substantia renum ita in demortuis subsidere debet, vt cerebri substantia; quæ nempe & mollissima est, & insignem aliam expansionis suæ causam amisit, vim scilicet duræ matris ipsam sustentantis, cranioque appendentis. Quare si noster aliud non habet, *quod valde probet contra propugnatores succi neruei*; vtique per ipsos valere potest, & sua ista vota proponere. Interim de allatis hisce contra Glandulas corticales obiectionibus meliori, vt arbitror, iure nos dicere poterimus, quàm ipse dixerit pag. 23. de illationibus Magistri tui: *Non debemus itaque non commiserari nostrum* hunc hominem, *eiusdemque in illationibus infelicitatem, cum ex raris obseruationibus in denatis factis sine attentione, & diligentia argumentum desumpserit ad* statum *partium naturalem comprobandum*. Sed contra Præceptoris tui rationem, ex medullarium fibrarum in cortice terminatione eiusdem corticis officium coniectantis, habet noster alia argumenta pag. 55. deducta ex propria *obseruatione anatomica, quæ*; vt ipse ait; *ita potens est, vt nullus Antagonista superfit loquendi locus. In Nosocomio*, inquit, *nostro Vitæ obseruauimus in corpore medullari portiones corticales, per quas nullæ sensibiliter erant distributæ fibræ medullares*.

Se-

Secundò. *Obſeruauimus præterea ſtrias medullares ad vltimas oras corticis peruenire, & hoc ſine difficultate confirmauimus; paucissimis tamen in locis apparet huiuſmodi terminatio medullaris ad vltimam vſque corticis ſuperficiem; vndè nullo pacto cogitari poteſt recipere medullarem fibram ex cortice, qui non ſuperſtat*. Tertiò. *Vidimus vlteriùs corpus medullare, ſeu fibram medullarem craſſam, & latam progredi vſque ad finem corticalis ſubſtantiæ; argumentum euidens ex minima corticis portione ſuperſtante non recipere tantam quantitatem medullæ, quæ ſecus deberet eſſe capillaris, ſi locus attendatur*. Et ne quis de *tam potentium obſeruationum* veritate vnquam dubitare poſſet; addidit. *In diuerſis cerebris iſtæ obſeruationes factæ ſunt longa indagine, multo labore, & repetitis vicibus*. Sed ad quid longæ iſtæ indagines, & ingentes hi labores? Nam quod attinet ad portiones illas corticales (quas alibi ſpecioſo titulo *Corticales Inſulas* vocat; licet reuerà nil aliud ſint, quàm glandulæ corticales eo ipſo modo intrà medullam reconditæ, quo iam vſque in *Exercitatione de Cerebri Cortice* pag. 271. & *inſignem ipſarum portionem*, & alias minores *particulas interiùs medullæ commixtas ſub medullari ſuperficie latitantes* obſeruauerat Magiſter tuus) quod, inquam, ad iſtas corticales portiones attinet; non quia per eaſdem nullas ipſe videre potuit ſenſibiles fibras diſtribui; idcircò bene infertur, nullas omnino fibras inſenſibiles adfuiſſe. Quòd verò ſpectat ad duas reliquas verè minimas; vt noſter de aliorum obſeruationibus loqui ſolet; obſeruatiunculas (modò tamen prima de duabus vera ſit; ego namque in multis, quæ ſecui, & quaquauersùm reſecui, cerebris tale quid obſeruaſſe, nunquam memini; qua verò ratione aliquis in hoc falli poſſit, & animaduerti, & probè memini) eædem profectò obſeruatiunculæ nihil impediunt, nihil obſtant. Cui namque in mentem ſtatim non venit, medullares fibrillas, alioqui impli-

plicitas, & in varias partes reflexas, postquàm ad finem corticalis substantiæ, imò ad ipsam cerebri superficiem peruenerint, aut iam ante curuatas, aut ibi demum inflexas, ad lateraliter proximas corticales glandulas posse deflectere, & in istis implantari; maximè cùm idem de alijs excretorijs ductibus, nominatim de canaliculis à Bellino in Renibus, descriptis obseruatum fuerit; quorum nempe *insignem portionem* postquàm *extimam Renum membranam attigit, reflecti intrò, ibique vltimum suæ productionis finem* ad Renum glandulas sortiri, cap. 2. *de Renibus* pag. 281. adnotauit Præceptor tuus. At si cuicunque id statim in mentem venit; quomodò *nullo pacto excogitari potest* responsio ad infirmas, quas adduximus, illationes? aut quomodò ita potentes hæ sunt, vt *nullus Antagonistæ supersit loquendi locus*? Mihi sanè nil magìs validæ eædem videntur alia illatione hìc loci, & hac occasione non omittenda. Affert hanc noster pag. 9., vt corticalem cerebelli substantiam; quamuis sensus non consentiat; reuerà tamen à corticali cerebri substantia differre, probet, & indè posteà alia. *Famosum*, inquit, *experimentum de cerebello secto, & animali illico ferè mortuo, secus de cerebro, maximè probat quidquid propositum est; ob corticalem substantiam, quam licèt sensus non distinguat, re tamen ipsa distinguitur*. Nosti, Antonine, illud experimentum satìs probabiliter ita solere explicari, quòd glandulæ corticales cerebelli, secus quàm cerebri, peculiariter cordi, alijsque ad vitam omnino necessarijs visceribus fortasse prospiciant; imò nosti, huiusmodi explicatione sublata, non ita facilè aliam inueniri posse, per quam res illa explicetur. Si ergo hoc experimentum satìs explicari potest per solam diuersitatem connexionis, siue officij glandularum cerebri, & cerebelli, in qua plurimi consentiunt; quomodò in eiusdem explicatione necessarium est admittere; siue (quod idem est)

quomodò hoc experimentum *maximè probat* diuersitatem substantiæ inter glandulas prædictas, contra quam sensus repugnant? Hactenus de Glandulis Corticalibus. Nunc illa perpendamus, quæ habentur in *Vigil.* pag. 28. Glandularum Hepatis occasione. Dum scriberet de hisce Glandulis cap. 3. *de Hepate* pag. 257. protulit Magister tuus quandam à Glissonio relatam obseruationem, hepatis scilicet in homine quodam strumis laborante innumeris glandulis refertissimi, quæ sectæ ex gypsea quadam materia componi videbantur. In hæc noster, citato *Vigiliar.* loco, *Communiter*, inquit, *obseruatur in cadaueribus id, quod Antagonista velut rarum nobis proponit ex Regemortero apud Glissonium. Difficultas nostra non est in obseruatione, est in illatione facta ex obseruatione, nimirum an ex gypsea concretione distincta, & tuberculari inferri possit existentia naturalis glandularum hepaticarum. Nos respondentes maximè dubitamus, & quemadmodum tutò non licet arguere à simili phasmate in pulmonibus, pulmones esse glandulosos, ita à simplici obseruatione allata non debet argui substantia hepatica glandulosa; audiatur Warthonus, qui in Adenographia similem obseruationem refert de pulmone*; adducitque verba Warthoni ostendentia quidem, non solùm in pulmonibus, sed in anteriore cordis parte tubercula glandulosa in quodam cadauere inuenta esse; tubercula autem gypsea, &c. (si adducta verba attendere debemus) non ostendentia; & tamen continuò subijcit, *Ex quibus obseruationibus patet concretiones gypseas glandulosam naturam æmulantes esse communes glandulis, & non glandulis, consequenter non probare corpus glandulosum cùm non sit morbus propriè spectans ad glandulas; sed communis partibus & membranosis, & glandulosis, & musculosis*. In hoc vno loco; si producam verba Præceptoris tui, quæ in eodem impugnantur; in hoc, inquam, vnico loco ostendam tibi quatuor ad minus,

minus, aut quinque errores: quorum cùm plures ad malè relatam Authoris sententiam pertineant; etiam inter id genus errores superiùs Num. VI. hic locus poterat adduci; sed ob similem causam inter plura errorum genera singuli adducti loci facilè fuissent reponendi: adeò verum esse potest, quod per hyperbolem dicere solemus, in quorundam hominum scriptis plures esse errores, quàm locos. Hæc dico; quia si in singulis errorum generibus, omnes, qui ad singula genera spectant, locos non inueneris; aut si plurimos, & iterum plurimos errores in *Vigilijs* ipse compereris, de quibus ego nullam fecerim mentionem; id pro tua prudentia sic accipias, vt mihi, inter plurimas occupationes alioquin scribenti, memoriam, atque patientiam defuisse credas; non rei scientiam, & cognitionem. Sed ad locum redeuntes, videamus primùm, quænam sint verba Magistri tui, in quæ illa omnia conscribuntur. Postquàm ergo iste pluribus adductis rationibus iam ostenderat, hepar ex glandulis componi, addidit. *Et tandem tantus est signorum, & accidentium, quibus glandularum naturam designamus, firmus in hepate consensus, vt magni alioquin Viri, nolentes etiam, sola sensuum vi, hepatis frustula glandulas appellare cogantur. Hoc accidit Regemortero apud Glissonium, qui in cuiusdam cadaueris sectione hepar interiùs, & exteriùs infinitis penè glandulis pisi instar scatens se obseruasse fatetur: nec credibile est, eas aduentitias fuisse à morboso ægri statu inductas, vt censuit obseruator, sed quæ in omnibus ob exiguitatem latent, ex aucta magnitudine, & soliditate concreto gypseo succo manifestas apparuisse: & vt euidentiùs nobis innotesceret, inter glandularum genus reponendas esse, consimilem affectionem in glandulis colli eiusdem ægri per multum temporis exhibuit natura, vel saltem morbus; eadem enim materia ad concretionem prona, in consimilibus glandulis excitauerat tumores.* Quæ cùm ita sint; Primùm nego,

Viri mentem bene referri, vbi, carpendi causa eiusdem eruditionem, scribitur, hunc casum ab eodem *velut rarum nobis proponi*; qui; vt vides; aliud omnino ibi spectat. Deinde nego, rem bene relatam esse, vbi indicatum est, eundem Virum *ab allata obseruatione, nimirum ex gypsea concretione distincta, & tuberculari arguisse, substantiam hepaticam esse glandulosam*; cùm id tantummodò arguerit (si tamen arguerit) ex modo loquendi obseruatoris, & ex similitudine affectionis in alijs glandulis eiusdem ægri. Tertiò (vt hìc non repetam, Warthoni verba rem non attingentia in obiectione adduci) assero, quòd si ex præfata Regemorteri obseruatione glandulosam hepatis substantiam Viro arguere placuisset; nihil obstaret obiectio ex obseruatione Warthoni deducta; Non enim supponendum; sed probandum esset, anteriorem cordis partem, siue etiam eius membranam nullis glandulis donari; nam hoc multi concedere non possunt; potissimùm verò demonstrandum esset in pulmonibus nullas glandulas adesse; etenim; ne eorundem vesiculas in glandularum censum traham, aut de alijs eorundem glandulis verba modò faciam; nonne Verheyen in pulmonibus certas quasdam glandulas ad singulas bronchiorum diuisiones à se inuentas esse, testatur? Demum, vltrò concedam, Præceptorem tuum paulò anteà (at nunquam tamen *ab allata obseruatione*) ex gypsea materia in hepatis substantia non raró inuenta glandulosam huius visceris naturam deduxisse; semper tamen negabo, ex sola hac ratione deduxisse. Hoc autem dico; quia non solùm video, in adducto *Vigiliar.* loco ita scribi. *A simplici obseruatione allata non debet argui substantia hepatica glandulosa*; sed (quod multùm attendendum est) animaduerto, passim in eisdem *Vigilijs*, speciatim in *Parte Critologica*, & potissimùm ab huius initio ad plurimas paginas, passim, inquam, animaduerto, ita res

tra-

tractari, quasi Præceptor tuus, qui sanè à multis simul iunctis rationibus suas coniecturas deducere solebat, ab vna tantùm ratione deduxisset. Quæ cùm ita sint; prætcrquamquòd egregias Viri illationes valde infirmas esse, incautis Lectoribus obtruditur, vt alibi adnotauimus; illud certum est, nostri huius hominis illationes in illa quasi suppositione fundatas nihil omnino valere posse. Quemadmodùm enim in adducto loco tametsi probaretur, ab hoc vno morboso statu, gypseorum scilicet tuberculorum, non bene argui naturalem hepatis structuram glandulosam; nihil tamen contra Præceptorem tuum concludi posset, quippe qui non ab illo solo; sed ab illo cum multis alijs morbosis iecoris statibus, multisque eiusdem in naturali statu cum alijs glandulis conuenientijs, necnon cum piscium obseruationibus, &c. coniuncto, eandem arguerat; quemadmodùm, inquam, in adducto loco per reiectam vnam tantummodò arguendi rationem nihil ad rem concluderetur; ita innumeris alijs in locis simili de causa nihil concluditur. Etenim cùm probandum esset, non bene quid argui ab anatome comparata, neque à microscopica obseruatione, neque à morbosis constitutionibus, neque à naturali rei aspectu, neque ab iniectionibus, neque à coctionibus, neque à macerationibus, neque à multis alijs, quæ Magister tuus simul vtplurimum adhibebat, adminiculis; cùm, inquam, hæc omnia probanda essent; vix probabitur; si tamen probabitur; non bene rem argui ab vna tantùm ex huiusmodi arguendi rationibus. At homo inquiet, nonne varijs in locis varias ex istiusmodi arguendi rationibus, modò videlicet microscopicam obseruationem, modò morbosam constitutionem, &c. examinando; nonne demum omnes esse infidas, ostendi, atque ideò neque ex omnibus bene argui? Vide meam indulgentiam, Antonine. Volo huic concedere; quod

nun-

nunquam prorſus eſt concedendum; rectè ipſum omnes, quotcunque adhibuit Præceptor tuus, arguendi modos examinaſſe; rectè etiam, & efficaciter ita infidos eſſe, oſtendiſſe, vt vel in tanta hac rerum obſcuritate eiſdem ad coniecturam aliquam eliciendam vti omnino non poſſimus. Hoc, inquam, totum volo concedere. Quid tum poſtea? Putatne, ſe rem confeciſſe? Errat, & vehementer errat, ſi putat. Demonſtrare enim adhuc oportet, quòd arguere ab eorum omnium vnione ita infidum ſit, vt à ſingulis quidem eſſet. Quanquam enim ſingulis hiſce arguendi rationibus nemo credere prorſus deberet; quis omnibus ſimul coniunctis fidem aliquam non adhibeat? Multò namque probabiliùs videtur, ſi illas omnes ſimul vnitas indicium rei aliquod facere, credamus; quàm ſi omnes, aut fere omnes in vna eademque re indicanda fortuitò, & caſu prorſus conueniſſe, pertinaciter affirmemus. Et quidem quò ad indicatas huiuſce hominis illationes ita res ſe habet; Sed non magìs valet, Antonine, non magìs vrget aliud quoddam illationum genus, quod etſi ab Anatomicis, alijſque hiſtoricis paſſim ſolet contemni, & parui fieri; ab noſtro tamen in rebus anatomicis aliquando adhibetur; cùm videlicet quædam, quæ alij affirmant ſe vidiſſe, ideò non dari, argumentatur, quòd ipſe videre non potuerit. Et ſanè hoc omnino habet hic homo, vt facillimè in animum inducat, ea non eſſe, quæ aut ipſe, aut alij nondum conſpicere potuerint. Faciunt huius rei fidem nonnulla, quæ ſuperiùs circa fibrarum medullarium intrà corticem terminationem ex eodem adduximus, non minùs, quàm illa, quæ in vno ex eius Opuſculis pag. 139. ſimul aliquando; ſi bene memini; mirati ſumus. Ait enim. *Hydrocephalus oſtendit vaſis lymphaticis non deberi originem hydropis vniuerſalitèr, cùm in cerebro hucuſquè illa non fuerint obſeruata*; Id verò dici non poterat hydroce-

phalus

phalus oſtendere; niſi idem eſſe, ſupponeretur, *Lymphatica ad illud vſque tempus, quo opuſculum conſcriptum eſt, non fuiſſe in cerebro obſeruata, & Lymphatica in poſterum obſeruari in cerebro, aut circa cerebrum nunquam poſſe*: quæ commodùm ſuppoſitio quàm vera, & quàm bene fundata ſit, cùm ab illis oſtenſum eſt, qui Lymphatica interim intrà ipſum cerebrum conſpexerunt; tum vlteriùs etiam oſtendetur per Lymphatica circùm cerebrum ipſum reperta, de quibus elucubrationem quandam Solertiſſimus eorum Inuentor Dñs Pacchionus propediem; ſi vera audio; in publicum eſt emiſſurus. Sed ad rem ipſam veniamus. In Vigiliar. pag. 81. ita ſcribitur. *Ex alia obſeruatione facta in lingua vitulina cocta à nobis deprehenditur aliud corpus diſtinctum à muſculari ſubſtantia linguæ è quo prodeunt corpuſcula papillaria ſine connexione, aut continuatione cum neruis, audemus credere prædictum corpus eſſe tendinoſæ naturæ, &c. -- hinc diuerſa eſt natura papillæ, & conſequenter vſus ambiguus*. Alibi diximus, corpus iſtud iam à Præceptore tuo fuiſſe deſcriptum. Hic notamus tantùm, ideò diuerſam Papillarum hoc loco dici naturam, & conſequenter vſum ambiguum, quia ex propria obſeruatione certum ſupponitur, eaſdem non habere *connexionem, aut continuationem cum neruis*; tametſi Viri Cl. habere, obſeruauerint. Sed hoc certum ſupponere, nonne eſt idem, ac argumentari, ideò Papillas non habere connexionem, aut continuationem cum neruis, quam alij in hominis, aliorumque animalium linguis, & præſertim in lingua vitulina obſeruauerant; quia ipſe hanc connexionem, aut continuationem videre in eadem vitulina lingua non potuit? Certè ſcio, vidiſſe me aliquando in lingua vitulina hanc continuationem abſque magna quidem; non tamen abſque vlla prorſus diligentia. Quia ergo aliquis aut neſciens, aut nolens eadem vti ſedulitate, illam continuationem non

attin-

attingit; ideò illa continuatio non dabitur? ideò Papillarum diuersa erit natura, & vsus ambiguus? *Hoc argumentum inuictum esset* (vtor iisdem prope verbis, quibus Bartholinus Iunior in *Epist. ad Blas.*) *Hoc*, inquam, *argumentum inuictum esset*, *si* nostri huius hominis *arbitrio staret Natura*, *& caderet*, *atque ipsum solum à consilijs haberet*. Noster continuationem *ignorauit*; *quia non satis inuestigauit*; quam Papillæ habent cum neruis; *ergo omnino* continuationem cum neruis non habent. *Misera certè hæc veritatis conditio foret*, *si propter quorundam ignorantiam semper lateret*. Nunc quando incidimus in Papillarum sermonem, in quas quæ argumenta noster attulerit, perpendere ex parte, iam promisimus; censeo, Antonine, vt multis alijs, quæ hic scribi possent, prætermissis, ista argumenta examinemus, siue potiùs recenseamus. Quid enim? Estne mihi examinandum hoc argumentum, quod noster, postquàm sibi persuasit, si Papillæ essent organum gustus in lingua; Papillas quoque in naribus organum olfactus esse debere, pag. 95. proposuit, ad probandum, Papillas in naribus organum olfactus esse non posse; dum inquit. Plures *asseruerunt organum odoratus in multiplicitate tunicarum consistere*, *prout deduxerunt ex maiori superficiei expansione per tubulos*, *& canales in spatio angusto*, *quæ expansio non fuisset necessaria*, *si papillæ fuissent à natura pro odoratu destinatæ*, *cum in multo minori spatio fuissent sufficientes ad hoc munus obeundum ob naturam nerueam*, *quæ immediatè reciperet impulsum*, *& communicaret primo sensorio*, *secus in suppositione membranæ*, *quæ cum immediatè non communicet*, *ideo maiorem superficiei expansionem requirit*. Estne, inquam, mihi examinandum huiusmodi argumentum? aut illud aliud, quod pag. sequent. exponit contra fundamentum diuersæ terminationis neruorum, siue diuersæ figuræ Papillarum in diuersis organis? Inquit enim. *Valde ob-*

scu-

ſcurum eſt fundamentum diuerſarum terminationum neruorum, quia vniformis ſtructura in principio, & caudice importat æqualem terminationem, & in partibus internis id euidens eſt, ſicut à ſimili in folijs vnius, & eiuſdem arboris; Aut iſtud aliud, quod oblitus eorum, quæ alibi ſcripſerat, à Plantis pariter ad Animalia ipſe deduxit, & contra Papillarum vſum attulit pag. 81. poteſt autem à nobis ſimul cum antecedente meliùs afferri ad probandum, quòd nonniſi Virorum eſt ſummo ingenio, & iudicio pollentium à Plantis ad Animalia argumentari. *Quando*, inquit, *natura in alio genere rerum virgulis vtitur inſtar papillarum, tunc augetur ſuſpicio de vſus aſſignati veritate in animalibus; id patet in genere vegetabili; in multis enim plantarum folijs eleuantur virgulæ in ſuperficie eorundem, & non ad ſenſum, & guſtum; multæ pariter eminentiæ tuberoſæ obſeruantur, de quibus affirmari non poteſt quicquid de lingua pronuntiatur.* Nec mihi puto ſolicitè perpendendas eſſe iſtas obiectiones, quas contra ſapidarum particularum inſinuationem per tegumentorum linguæ meatus ad Papillas vſque, produxit pag. 73. *Meatus*, inquit, *ſemper replentur ſaliua, & muco, hinc impeditur tranſitus ad ſuppoſitum organum guſtus; quando etiam non impediretur tranſitus deberent infarciri ab aliquo corpore ſapido, vndè poſt vnum ſaporem immediatè non diſtingueretur alter; poſſumus etiam dubitare, quia quando ſinus eſſet repletus à corpore ſapido, quò pergeret? & quamdiu permaneret in meatu corpus ſapidum, tamdiu guſtus continuaret, quod non conſiderarunt, qui præproperè impreſſerunt, quique in materia anatomica non ſunt verſati.* Non, inquam, puto ad harum obiectionum (quas facilè concedo, à nemine, niſi ab hoc noſtro, aut à paucis alijs attendi, & conſiderari potuiſſe) debilitatem, leuitatemque oſtendendam neceſſarium eſſe diutiùs in earum examine immorari. Cui namque protinus in mentem non venit, ſaliualem

 hunc

hunc humorem, quo meatus repleri, dicit, potiùs ad dissolutionem sapidi, atque adeò ad faciliorem eius insinuationem conducere; sapidum verò ita dissolutum facilè cum dissoluente humore per linguæ contractiones, & motus, aut similem aliam causam à meatibus exprimi posse, & sic noui sapidi particulis locum cedere? aut si hoc non ita facile semper fieri possit; quis ignorat, neque semper post vnum saporem immediatè alium posse distingui? Vtcunque tamen res sit; ne tibi hac in parte simplex omnino transcriptor videar; vnum vel alterum ex sequentibus argumentis breuissimè examinemus. Pag. 78. hoc affertur. Cùm Papillæ linguales *in boue, capra, oue, & ipso etiam homine in configuratione, differentijs, natura conueniant, vt habet Antagonista -- si eadem sunt ad gustum instituta -- vtique homo & prædicta bruta deberent æqualiter gustare; hoc autem cùm non obseruetur, alius vsus communis est cogitandus. Inductio videtur hoc ipsum suadere; etenim vbi non est differentia in vsu partes conueniunt in structura saltem sensibili, vt cætera organa euincunt; quare vbi est conuenientia in structura, & non in vsu, vt dictum est, statim inferendum est, structuram ad alium vsum, præterquam ad assignatum, formatam esse; boues, equi, asini, fæno, spinosoque alimento maximè delectantur, non homo; stercus hominum canes maximè gustant, & isti diuersi gustus in vniformi structura excitantur?* Mihi verò istud argumentum valere videretur, si à supposita Papillarum in homine, & dictis brutis conuenientia argueretur, quòd si Papillæ sunt ad gustum institutæ; & homo, & dicta bruta debent gustare; non verò *æqualiter gustare*. Neque aliud suadet allata inductio; multa enim animalia in oculorum, aurium, cutis, narium structura sensibili conuenientia, scimus quidem (vt communiter loquimur) videre, audire, tangere, olfacere; an verò *æqualiter* videant, audiant, tangant, olfaciant, nescimus;

imò

imò potiùs contrarium scimus. Non enim ea omnia animalia ab ijsdem coloribus, ab ijsdem sonis, aut ab ijsdem odoribus, &c. æqualiter commouentur. Accedit, quòd in causarum inæqualis gustus examine non solùm ipsum gustus organum perpendendum est; sed etiam organum olfactus, & tactus; nam diuersa in homine à diuersis brutis olfactus organi constitutio, aut varia in varijs ipsius linguæ durities alias res alijs ingratas, vel gratas facit, aut ingratas esse, non finit. Ad hæc; nonne quotidie videmus in vna eademque animalium specie, atque adeò in ijs animantibus, quorum non tantùm Papillæ, sed alia omnia assignabilia gustus organa simul magìs conueniunt, quàm Papillæ vnius speciei animalium cum Papillis animalium aliarum specierum; puta in nostra humana specie; nonne, inquam, videmus, plura plures homines libenter gustare, aut omnino ferre non posse, quæ alij interim è contrario ferre non possunt, aut gustant libentissimè; imò vni eidemque homini nonne vtplurimum alia placere solent, cùm puer est, alia, cùm senex? & tamen quæ linguæ magis conueniunt, quàm eædem cum seipsis? Ad insensibilem itaque Papillarum modò in consistentia, modò in structura, modò in admittentium meatuum figuris, &c. varietatem pro gustuum inæqualitate explicanda, potissimùm oportet recurrere, non verò Papillas excludere; nam sic quoque alia omnia assignabilia gustus organa excluderentur. Porrò ab his ijsdem insensibilibus conditionibus; quando aliunde non dependeret; sufficiens causa dependeret, cur Papillæ in ambitu corporis gustare non debeant. Non enim dubitauit hic noster istud etiam argumentum proferre pag. 76. *Si vera essent, quæ referuntur ab Antagonista, oporteret concludere, quod tam in lingua, quàm in ambitu corporis gustus excitaretur nulla intercedente disparitate, siue organum, siue obiectum consi-*

deretur; quasi verò de vltimis etiam insensibilibus structuris Præceptor tuus retulisset. Verùm; ne pluribus ita minoris momenti te fatigem; accipe hoc demum facilè pulcherrimum contra Papillas argumentum. Cùm Papillæ fungosæ paucæ sint, &c. (ait pag.77.) Antagonista „ *conclusit suis hisce proprijs verbis*; „ ideò exiguus oc„ currit dubitandi scrupulus, cæteris etiam (*linguæ*) „ papillis gustus passionem fortè conuenire posse; „ *verùm*, addit, *si legisset Cardanum in Commentario ad lib. Hippocratis de Alimento ab omni scrupulositate liberatus fuisset, quia in Augusto Corbeta lingua sentiebat, & non gustabat, quod euenire non posset, si scrupulus Antagonistæ haberet fundamentum*. Imò si noster breuem istam, quam hic impugnat, de *Lingua Exercitationem* ad extremum vsque iam legisset tunc, cùm folium, in quo argumentum istud, impressum est, aut si quidquam memoria valuisset; hoc vtique, istis saltèm verbis, imprimi non permisisset argumentum. Non solùm enim obseruationem istam Cardani Præceptori tuo lectam sciuisset; verùm etiam ex nonnullis, quæ iste subdit; quàm debile suum hoc argumentum foret, maturè intellexisset. Ita namque legimus in calce prædictæ *Exercitationis de Lingua* pag. 171. *Extat famosa Cardani obseruatio in Augusto Corbeta, qui ex assumpto pipere dolorem, non saporem percipiebat; nam ex pipere quidem subintrante lacerabantur neruea papillæ, vnde dolor; non aderat autem saporis sensus, quia prima radix neruosi corporis ad gustum destinati ob morbum non consentiebat, vel non commouebatur blanda illa motione, & affectione, quæ gustum edit*. Dixi, *tunc, cùm folium, in quo argumentum istud, impressum est*; nam nisi coniectura mea me fallit; postquàm folium istud impressum fuit, sensit noster elapsi erroris turpitudinem (quid enim turpiùs esse potest, quàm si aliquis de rei minùs necessariæ ignorantia; & quidem immeritò; alios ideò repre-
hen-

hendat, quia rem ipse omnino sibi necessariam ignoret?) atque ita in proximo folio conatus est errorem obtegere, scribendo pag. 82. *Probat Antagonista suum votum obseruatione Cardani relata, in qua explicanda ait, ab assumpto pipere lacerari nerueas papillas; quod si verum est, Corbeta conuulsione, laborauisset; verùm, vt diximus, Antagonista noster non legit Cardanum, si legisset meliùs ratiocinatus esset*: post quæ, adducit verba, quibus Cardanus hanc exposuit obseruationem; necnon responsionem propriam in sui prioris argumenti defensionem. Verùm, vt difficile est errorem absque alijs erroribus defendere; primùm in eo labitur, quòd Cardani lectionem credat isti Præceptoris tui ratiocinio obstare, (quòd enim Papillarum lacerationem qualemcunque conuulsio, aut certè huiusmodi, quam noster intelligit, conuulsio consequi debeat, alijs, non mihi probauerit) deinde & in proprij argumenti defensione labitur; ait enim. *Si radix neruosi corporis consentiebat pro tactu morboso, cur non consentiebat pro gustu morboso? vrget potissimùm oppositio, quia vna, & eadem neruorum propago vtrunque munus præstat sentiendi scilicet, & gustandi*; quasi verò ipsi, qui neque vllam inter Papillas, & neruos continuationem attingere valuit, iam perspicuè constaret, cuius propaginis neruuli in Papillas desinant, & cuius non desinant; aut quasi vna eademque neruorum propago ex pluribus, & diuersis, & à varijs cerebri locis prouenientibus fibris componi non posset; aut demum quasi motio tactus, & motio gustus ita conuenirent, vt quicunque neruus moueri adhuc potest pro tactu, moueri etiam posse deberet pro gustu. Illud verum est, ita oscitanter, ita infeliciter; vt hucusque ostensum fuit; nostrum hunc scribere passim solere, vt eo modo loquendi ex pag. 77. notato, & hisce vltimis erratis non obstantibus, fortasse ego fallar in mea coniectura. Interim non esset hic primus

error,

error, quem vt defenderet, in alios noster cecidisset. Compendij causa, hunc vnum considera, quem è multis potissimùm seligo, quia simul ostendit illud, in quo adhuc sumus, vt nempe hic homo, obliquè, & perperàm soleat in suis discursibus procedere. Itaque cùm iste in *Dissertatione de Rec. Med. Stud.* probandum suscepisset, *subtilioris Anatomes cognitionem ad arcendos morbos inutilem esse*; vt suum hoc argumentum confirmaret; hanc inter cæteras rationem adduxit; quòd præterquamquòd ex eadem Anatome partium vsus non cognoscitur; tum ipsa *vsus cognitio non est simpliciter necessaria ad sanitatem inducendam*. Quæ cùm ita essent; rectè in sua Prælectione notauit Bohnius, hominem hunc per istum suum procedendi modum *controuersiæ statum mutare*, & rectè quoque Magister tuus in eundem *Dissertationis* locum scripsit in sua *Posth. Resp.* pag. 325. *Quì l'autore restringe la proua* „ *al* „ simpliciter, „ *onde* „ ad meliùs esse „ *lo concederà, e non sarà poco il vantaggio, che si cauarà dall'anatomia, e così non sarà totalmente inutile*. Quid noster in tali errore manifestò deprehensus? Vt potes meminisse; ad Bohnium quidem ita respondet in Opuscul. pag. 88. *Si non est Medico practico necessaria cognitio vsus, nemo dicet laborandum esse in subtiliori Anatome prò locupletanda Medicina practica, etiamsì nobis aliquem vsum demonstra-* „ *ret; quocircà Ioan. Bohn malè dicit*, „ mox statum con- „ trouersiæ mutat, &c. „ *Cum status controuersiæ sit, vtrùm subtilior Anatome, & per Microscopium quæsita partium structura sit vtilis, & necessaria Medicis practicis pro cognitione morborum, & remediorum inuentione, vndè quotiescunquè afferuntur motiua, quæ ostendunt eandem disquisitionem veros vsus non detegere, aut si ex hypothesi manifestaret; Medicum curantem independentèr ab his posse sibi satisfacere ob communitatem morborum, ideoquè nunquam limites controuersiæ excedantur*. Vides, in quot errores labatur,

vt

vt priorem illum defendat. Nam (vt Typographi incuriæ ascribam, vt multa aliæ, ita quoque quidquid in vltima periodo desideratur) attende primò istam illationem. *Non est Medico practico necessaria cognitio vsus*; ergo *nemo dicet laborandum esse in subtiliori Anatome pro locupletanda Medicina practica, etiamsi nobis aliquem vsum demonstraret*. An quidquid non est necessarium (& quidem *simpliciter*; vt *Dissertationis*, & huius quoque loci sensus est) statim inutile est pronunciandum? Deinde diligenter attende, quanta securitate id affirmet, quod omnibus falsum esse, manifestum est; Affirmat enim: *hunc esse controuersiæ statum, vtrùm subtilior Anatome sit vtilis, & necessaria Medicis practicis*; & tamen cuilibet promptum est videre, qualem controuersiæ statum in *Dissertatione* proposuerit, dum inquit. *A subtiliori Anatome exordium sumens fidenter assero, istius cognitionem ad arcendos morbos inutilem esse*. Est igitur controuersiæ status, *an sit vtilis*; non verò *an sit necessaria*. Quamobrem reuerà *limites controuersiæ excessit*, imò *controuersiæ statum mutauit*; cùm motiua attulit, quæ ostendunt, *Medicum curantem independenter ab vsibus per illam Anatomen detectis posse sibi satisfacere*. Vidimus, in quot nouos, quantosque errores noster inciderit, vt antiquum tueretur à censura Iohannis Bohnij; Videamus modò, in quot, quantosque incidat, vt eundem ab animaduersione Magistri tui tueatur. Longum nimis facerem, si locum integrum hic transcriberem; videre ipsum per te poteris in *Vigilijs* pag. 362. & 363. Interim ita summatim hæc habeto. Pertinaciter adhuc homo dissimulat, se *limites controuersiæ excessisse*, cùm in eo *Dissertationis* loco asseruit, *non esse simpliciter*, & absolutè *necessarium* ad inducendam sanitatem partium vsum cognoscere; Deinde multa superuacanea, & nihil ad rem facientia repetit; Demum ex his verbis, *quando diximus in nostra epistola*

sim-

„ ſimpliciter „ *pro neganda cognitione vſus abſolutè neceſſaria, terminum prædictum adhibuimus, non in ordine ad anatomiam vtilem*, ex his, inquam, verbis hanc illationem deducit, *vndè non poterat inferri ad melius eſſe, ideſt ſecundum quid anatomiam ſubtilem eſſe neceſſariam*. Nec verò multùm diſſimilis huic procedendi modo, quo in *Diſſertatione* vſus fuerat, ille eſt, quo vtitur in *Vigilijs* pag. 525. Vt enim probet, figurarum ſalium indaginem ne ipſam quidem theoricam Medicorum cognitionem augere poſſe; ait. *Quis non nouit aliud eſſe quærere figuram ſalis cardui benedicti, & aliud quærere figuram moleculLarum minimarum, ex quibus prædictus ſal componitur? de primis medicus non debet eſſe ſolicitus, quia figura totius aggregati in corpore ceſſat, & deficit; aliæ verò figuræ minimarum particularum componentium non patent; quis oculis etiam armatis microſcopio poteſt diſtinguere indiuiſibilem moleculam alicuius ſalis cum ſua figura, ſi non cadit ſub ſenſu?* Hic enim poſtquàm probandum ſuſcepit, *moleculas minimas*, in quas idem ſal intrà corpus diſſoluitur, & quas Medicus conſiderat, non patere; probat, *indiuiſibiles* eiuſdem ſalis *moleculas*, in quas neſcimus an intrà corpus diſſoluatur, & quas certè Medicum conſiderare, non oportet, *indiuiſibiles*, inquam, ipſius *moleculas* ſub ſenſum non cadere. Locus hìc eſſet nonnulla adducendi ex *Mantiſſa de Microſcopij Vſu*, per quæ hominis conſuetudinem vlteriùs cognoſceres ſecurè adhibendi huiuſmodi abſurdos procedendi modos, infirmaſque, & nihil vrgentes, potiſſimum verò nihil ad rem facientes illationes. Sed quanquam ego mihi videor inter ipſa epiſtolæ initia huius rei ſpem aliquam tibi feciſſe; ſatìs tamen ſint, quæ hucuſque legiſti, aut ſaltèm eorum omnium vice, vno tantùm contentus ſis eiuſdem *Mantiſſæ* loco, reſponſione ſcilicet ad quoddam, alioquin non ita difficile, Problema, ſi eius Authorem audimus, *non*

ſper-

ſpernenda; reuerà autem eius infelicem ratiocinandi modum non mediocriter comprobante. Cùm enim microſcopij infidelitatem penitus oſtendiſſe ſibi videretur; in calce opuſculi pag. 641. in hunc modum locutus eſt. *Ex dictis innoteſcit reſponſio ad problema, quod præſentem Tractatulum roborat, & eſt, cur natura inſtituerit perſpicillum naturale cum indigentia artificialis pro rebus minimis explorandis; id autem naturam feciſſe maximè probabile eſt, quia meliùs eſt, quòd oculus nudus non videat id, quod microſcopium oſtendit, quàm quòd idem videndo, videat id, quod non eſt, vel confuſè videat, vel æquiuocè, &c.* Vide, quàm futili, & quàm longè petita reſponſione tentauit Problema ſoluere, ſuumque Tractatulum roborare. Mihi ſanè hac in re vt nihil facilius, ſic nihil aptius videtur, quàm ita cogitare: Naturam in animalibus conſtruendis ea potiſſimùm inſtrumenta ſolere in eiſdem fabrefacere, quæ frequentiſſimis, atque aſſiduis eorum indigentijs conueniant; Si ergo in communi hac noſtra viuendi conſuetudine, atque ratione opportunum fuiſſet, vt aſſiduè, aut plerumque nulla alia obiecta, niſi minima, niſi quantùm fieri poteſt, nobis viciniſſima videremus; vtique Natura abſque iſtarum deceptionum metu, ita oculos nobis conformaſſet, vt acutiſſima microſcopia æmularentur; Nunc verò cùm ita comparatum ſit, vt plerunque magna vno intuitu obiecta, & nobis non ita propinqua oculis percipere debeamus; non vt euitaret iſtas, quas noſter perperàm timet, fallacias; ſed ne inſtrumento rei omnino impari nos inſtrueret, idcircò exquiſitiſſimi microſcopij ſtructuram in oculis fabricandis non obſeruauit. Cùm verò ibidem ſubijcitur hæc interrogatio; *Si meliùs erat fabricare oculum ſinè indigentia microſcopij, quare natura non formauit oculum ſinè prædicta neceſſitate?* ego hanc aliam interrogationem reponendam cenſeo. Si melius erat ita fabricare humanum ocu-

lum,vt oculo Aquilæ,aut Lyncis perſpicacitate non concederet; vt, vno verbo, nunquam Galilæi tubo indigeret; quare Natura non formauit humanum oculum abſque hac indigentia, & neceſſitate?

IX. Iam verò habes, Antonine Cariſſime, in hac epiſtola duo illa, quæ ab eius ſtatim principio pollicitus ſum. *Vt* nempe *Vir Cl. Præceptor tuus in iſto* Vigiliarum *libro, magno cum ſtrepitu, atque impetu, multorum accuſetur, in quæ neutiquam lapſus eſt; Vtque è contrario in eadem verè inciderit is, qui immeritò accuſauit*. Vidiſti hæc duo in ſex, vel ſeptem, quæ percurrimus, grauiſſimorum errorum generibus, iſtis videlicet 1. *Quæ nihil ad rem faciunt, in medium adducere*. 2. *Aliorum Inuenta, & Meditationes pro ſuis venditare*. 3. *Incautas, & præcipites propoſitiones confidenter proferre*. 4. *Authorum mentem non aſſequi*. 5. *Malè eandem, & parùm fidè referre*. 6. *Sibi ipſi non conſtare*. 7. nouiſſimè *In ratiocinando, atque inferendo malè, abſurdèque procedere*. Alia inſuper errorum genera eodem ſucceſſu percurriſſem; niſi grauiſſima hæc ſatis ſuperque eſſe, exiſtimaſſem. Quis enim, obſecro, poſtquàm oſtenſum eſt, tam præcipitem hunc hominem, & tam negligentem fuiſſe, vt tales, tantoſque errores & iniuriâ in tuo Magiſtro reprehenderit, & ipſe reuerà in ſe admiſerit; quis, inquam, non vltrò credat, eandem in ipſo probari poſſe præcipitantiam, & negligentiam etiam quod attinet ad *Nugarum, & Obſeruationum nullius momenti factam inter ſeria mentionem, ad Lapſus in Eruditione, ad Lapſus in Lingua*, aliaque huiuſmodi leuiora errata, quæ, vt omnem infenſi accuſatoris acerbitatem impleret, voluit idem in Viro Cl. redarguere. Illud non diffitear, opportunè in hac epiſtola potuiſſe verba fieri etiam de Vitæ, & Morum vitijs; etenim ne ab hoc quidem reprehenſionis genere homo vehemens ſe abſtinuit; ſed (quod te ſummoperè commouebit) in

in singulis propemodùm paginis modò *animi in se Æstum*, modò *Falsitatem*, *Superbiam* modò, modò *Aliorum Contemptum* Viro; vt fama est; Modestissimo, Optimo, Integerrimo obiectare non dubitauit; Verùm cùm ipse nunquam Præceptorem tuum, nunquam hominem hunc nostrum ne de facie quidem cognouerim; profectò neque potui, neque debui de ipsorum moribus verba facere ad te præsertim, qui per multos olim annos vtrumque, vt puto; certè alterum intus, & in cute inspexisti. Accedit, me ita natura formatum esse, vt ab huius generis sermonibus vehementer abhorream: quo etiam factum est, vt quæ in hac parte ex vtriusque libris colligere, & adnotare potuissem, ea omnia consultâ operâ prætermiserim. Horum igitur, & similium vice, longè meliùs huc attexam quasi pro epistolæ quadam coronide paucos aliquot locos in *Vigilijs* occurrentes, ad meum institutum omnino spectantes: qui sicuti casu prorsus factum est, vt cùm memoriam meam hucusque subterfugerint, ante non fuerint adducti; ita arte quadam huc seruati, tibi fortasse videbuntur; cùm profectò singuli, si qui alij, grauissimos nostri huius Censoris inter accusandum lapsus, & errata manifestent. Incipiamus ab eo loco; qui occurrit pag. 386., & 387. Hic noster postquàm dixit, *ex viris grauissimis inter veteres, & nuperrimos Scriptores, qui circa osteologiam laborarunt, plurimos non habere vel ipsa verba diuersa; qui aliquid addere conantur, vel non probare, vel non addere præcipua, & maxima, quæ de ossium structura, & medulla debent sciri*; tum ipse hæc asseuerat. Quòd *si quid absconditum est, medulla præ cæteris occurrit, eiusdemque vsus*. Quòd hunc *vsum in sanguine, & non in parte quærere necesse est, ad eiusdem perfectionem, complementum, & vitalem, balsamicamque fermentationem*. Quòd ipse *putauit post longum tempus in cauitatibus ossium exaltari elixirium quoddam, & sanguini*

guini restitui ad vsus humanum ferè captum excedentes. Demum post nonnulla ex Helmontio relata, Quòd *quidquid cogitauit Helmontius in ordine ad ossa, à se extenditur in ordine ad totum, & potiori fundamento, quia medulla est quidem in cauitate ossium, sed non ideò, quia ossa respiciat, cùm experientia constet intra membranas contineri, & non communicare cum osse, & probabiliter in venas remeare*. Hìc ego breuitatis causa omittam suam hanc de medullæ vsu sententiam in Rationis trutina ponere; tametsi omnino id faciendum esset; cùm ipse, qui probabilia aliorum cogitata, & coniecturas tam rigidè vexauit, harumque Authores alicubi dixit *sibi ipsis à secretis naturæ videri, & soli scire, quæ penetrari nequeunt*; idem modò (& quibus fundamentis!) absolutè asseuerare non dubitet, quòd Medullæ *vsum in sanguine, & non in parte quærere necesse est*. Illud verò non omittam, quòd pro suo fundamento tam securè istud attulerit: *Experientia constare Medullam non communicare cum osse, & probabiliter in venas remeare*. Etenim Experientissimus Hauers per anatomicam obseruationem didicit, eandem ad articulos permeare debere; Vernæus verò per magnum obseruationum numerum certum se dicit, quòd medullare oleum continenter se inter osseæ substantiæ fibras insinuet. Si igitur iuxta obseruationes tantorum Hominum constat, medullare oleum ad articulos defluere, atque intrà osseam substantiam se insinuare; quomodò noster tam facilè, tam securè pro suo fundamento potest supponere, quòd *experientia constet*, idem cum osse non communicare; sed intrà venas redire? At eâdem fortasse ratione id nostro constabit, qua eidem constat, quòd *continuò* in soporosis, & conuulsiuis affectibus serum in cerebro luxurietur. Et hoc enim; si quis probè attendat; pari confidentia docet pag. 36. vbi corticales cerebri glandulas impugnans, *Nunquam*, ait,

ait, *serositate luxuriante in cerebro, & permanente cortice sub propria forma, vesica cogitatæ parumper dilatatæ indigitauerunt hypothesin, prout continuò obseruari deberet in soporosis & conuulsiuis affectibus, &c.* At quomodò id *continuò* in soporosis, & conuulsiuis affectibus obseruari deberet? Obseruamus quidem non raró in prædictis affectibus, serum in cerebro luxuriari; sed non *continuò*. Est alter locus in ipsa libri pag. 4. mihi omninò non omittendus. In hoc, vt impugnet illud Præceptoris tui principium, de quo alibi verba fecimus, videlicet de conformi Naturæ operandi methodo; quædam à diuersa; vt ipse putat; in diuersis partibus vasorum connexione argumenta deducit: ex quibus omnibus; ne longus sim; duo saltèm tibi adducam, quæ probè considerata, sicuti principium tui Præceptoris vehementer comprobant, ita hominis huius nostri in anatomica historia insignem profectò lapsum indigitant. Primum argumentum deducit à vasorum in renibus anastomosi, de qua nos supra Num. VII.; Alterum verò à peculiari illa; vt ipse credit; vasorum piæ matris constitutione, de qua citat Thomam Willisium (Solertissimum alioquin Authorem; sed qui suam *Cerebri Anatomen* iam ante quadraginta annos scripsit) dum in istius cap. 7. ait, *venas & arterias piæ matris*, „ secus quàm in vlla corporis parte se habere, & non „ solùm artèrias cum venis, verùm quod rariùs, & fere „ singulare est, arterias cum arterijs inuicem communi- „ care.] „ Inprimis itaque planum est; vt nos ostendimus; eam, quæ fit in renibus, anastomosin inter eiusdem generis vasa intercedere; atque ideò similem omnino esse huic anastomosi, quam Willisius inter arterias & arterias cerebri describit; consequenter vnum argumentum alterius vim minuere, dum patefacit, hanc vasorum anastomosin non esse igitur ita singularem, maximè cùm etiam vteri & arterias, & venas ex vtroque latere in-

vnum concurrere, & simul communicare, arterias quidem cum arterijs, venas cum venis, nemini notum non sit; Sed quid ego in his singularibus moror Partibus, quando Verheyen in sua *Anatomia* ante quinque annos edita Cap. *de Arterijs, & Venis* ita in vniuersum testatus est. *Venæ cum Venis, & Arteriæ cum Arterijs frequenter connectuntur, vsque adeò, vt vix dentur notabiles ramuli eiusdem trunci versùs eandem regionem excurrentes, quin post diuisionem, saltem per aliquos exiguos ramusculos simul vniantur: quod hactenus plerique Anatomici in capite, & circa vterum speciale existimarunt. Verùm eiusmodi connexiones in quacunque parte sanguinea facilè obseruantur, si ligata maiori Venæ propagine, tinctura in Arteriam correspondentem inijciatur, cauendo priùs ne dicta vasa sint multùm constricta frigore. Conspiciuntur quoque perbellè extrinsecùs in cute fœtus duobus, tribusue mensibus ante tempus exclusionis. Est autem eiusmodi vasorum coniunctio corpori apprimè necessaria, ne scilicet interrumpatur cursus sanguinis, sed vna Arteria ob corporis inflexionem, aliudue impedimentum minus libera, cruor ille per alteram vberiùs propellatur, &c.* Si vlla igitur res est, quæ conformem Naturæ operandi methodum testari possit, hæc ipsa est anastomosis vasorum, quam noster tantùm eidem contrariam existimauit, quantùm verum esse, supposuit, rem adeò frequentem, & in quacunque propemodùm parte obseruabilem, esse cerebro quasi peculiarem. Hæc etiam velim animaduertas, quæ scribit pag. 67. contra quendam locum ex prima *Epistola de Pulmonibus*, in quo affirmauerat Magister tuus, sanguinem, chylum, & lympham non posse *in dextro cordis ventriculo, nisi rudem subire miscelam*. Noster enim ita scribit. *Verum est sanguinem, chylum, & lympham ad cor ferri; sed quòd hæ substantiæ in dextro cordis ventriculo sufficienter non misceantur, hoc est probandum; rudis mixtura chyli, & lymphæ cum sanguine*

guine fit in ramis subclauijs, & vena caua, & quando in dextro ventriculo, dextraque auricula prauia dicta dispositione non haberetur mixtionis complementum, quod in liquidis ad minimum diuisis, vt in aqua, & vino videre est, celeriter obtinetur, &c. Mitto hanc vini, & aquæ cùm chylo, & sanguine comparationem; tametsi nullo modo esset mittenda; Illudque vnicè perpendendum tibi relinquo, an deceat aliquem in medicis obseruationibus vel mediocriter instructum diffidenter adeò postulare, vt sibi probetur, in dextro cordis ventriculo chyli, & sanguinis mixtionem non compleri. Etenim si mixtio hæc in dextro cordis ventriculo compleretur; quomodò in hominum pancraticè alioquin valentium venæ sectionibus post certum à pastu interuallum institutis obseruatum esset, & quidem non ità raro, album, imò purum putum chylum simul cum sanguine egressum esse, quod & nos aliquando vidimus? Imò illud apud Experientissimum Louuerum ita certum est, vt in calce sui *Tractatus de Corde* absque vlla dubitatione edoceat, *quemlibet quotidie experiri id posse. Si enim,* inquit, *animali quatuor, vel quinque horis, aut longiore temporis interuallo post largiorem pastum sanguis è quacunque vena, vel arteria detrahatur, magna ipsissimi chyli lactescentis copia cruori coagulato innatare conspicietur.* Sed quid ego minora hæc in nostro homine adhuc miror; cùm pag. 367. non iam contra huiusmodi obseruationes, atque experimenta, sed contra ipsas vulgatissimas Practicorum doctrinas, in Anatomes, & Magistri tui contemptum, ista prorsus verba audacter scribere non dubitarit? *In doloribus intestinorum quid refert scire, an colon potiùs, quàm ileon, cæcum magis, quàm duodenum afficiantur? non boni medici, sed litigiosi hoc quærunt.* Tot igitur, iam non dicam doctissimi Theorici, sed optimi, & grauissimi Practici, qui tam solicitè docuerunt, qui tenuium intestinorum dolores à crassorum

dolo-

doloribus distinguamus, quique adeò & in prognosi, & in ipsa medicina facienda præceperunt, vt primane, an secunda laborent, diligenter quæramus; tot, inquam, prudentes Viri, & in medendo exercitatissimi, non boni fuerunt Medici; sed litigiosi? Iam verò perquirere, qua ex parte remedia immittendo, faciliùs, citiùsque ad affectam partem transmittantur, hoc certè boni est medici, non litigiosi. At si hoc verum est; cur quærere, an tenuia, anne crassa intestina afficiantur, quod demum est quærere, an per os, an per sedem remedia potissimùm indenda sint; cur, inquam, hoc quærere non est boni medici, sed litigiosi? Sed, meo quidem iudicio, & hi omnes, quos adduximus, & quos vlteriùs adducere possemus, *Vigiliarum* loci non sunt profectò magis notabiles, quàm iste, quem proinde omnium vltimum tibi exscribo ex pag. 46. Ex hoc enim disces raram mehercle, & hucusque inauditam animaduersionem, scilicet Nunquam mammas, nunquam alias quascunque veras glandulas osseas, aut cartilagineas fieri. Hanc noster, dum impugnaret naturam peritonæi glandulosam, nobiscum communicauit his verbis. *Singularis obseruatio, quæ legitur apud Franciscum Deleboe, &c. de parte peritonæi dura, ita vt pro cartilagine haberi potuisset, auget suspicionem pro neganda* eidem *naturæ glandulæ; nec enim hepar, mammæ, pancreas, aliæque partes, quæ veræ glandulæ sunt, osseæ, vel cartilagines fiunt (quod de membranis extat) licet durescant, & scirrhosæ euadant*. Obsecro te, Antonine Doctissime, & tecum optimum quenque Anatomicum, Num testiculi veræ glandulæ non sunt? Et tamen omnibus notum est ex *Miscellan. Nat. Curios.* D. 2. A. 10. Obs. 156. D. Philippum Iacobum Hartmannum *Parisiis vidisse testiculum ex auriga exectum totum cartilagineum*. Num Thyroidææ, siue potiùs (nam reipsà duæ non sunt) Thyroidæa glandula vera glandula non est? Et tamen

vidi

vidi ipſe ante plures annos cartilagineum, imò verè oſſeum quoddam conſiderabilis magnitudinis corpus in altero eiuſdem lobo contentum; quinimmò, dum hæc ſcriptito, in iſthmo vtrumque eiuſdem glandulæ lobum coniungente rotundum quoddam, ſed complanatum, oſſeum corpus fortè comperio. Et quoniam inter cæteras glandulas, quas neque oſſeas, neque cartilagineas fieri, noſter aſſeuerat, mammas ſpeciatim nominauit; non ſolùm ego ſub vna canis papilla inæquale quoddam fruſtum ſubſtantia inter os, & cartilaginem medium olim inueni; ſed tu ipſe mecum non ita pridem canis mammam vidiſti, atque obſeruaſti, cuius maior pars iam verè oſſea euaſerat; reliquum verò ferè adhuc cartilagineum, in dies magìs oſſeſcebat, quam adhuc mammam inter plura alia conſimilia aſſeruamus. Ad hoc, nemini ignotum eſſe, puto, D. Alardum Mauritium Eggerdes in quadam fœmina, quam ad incredibilis mammarum duritiei cauſam detegendam aperuit, *mammas totas oſſeas*, inueniſſe; cùm hanc hiſtoriam non ſolùm in præcitatis *Miſcell. Nat. Cur.* D. 2. A. 6. Obſ. 210., verùm etiam in *Sepulchret. Anat.* ſecund. edition Tom. 2. pag. 522. deſcriptam habeamus. Sed iam pudet me in re tam frequenti, qualis eſt glandularum oſſificatio, te rerum Naturæ, etiam aberrantis, peritiſſimum tot verbis detinere. Si igitur tam frequens, & obuia res eſt, legitimas glandulas cartilagineam reuerà, oſſeamque naturam acquirere; quomodò vnquam, & qua ratione noſtro huic homini aut ſcientia, aut memoria vſque adeò defuit, vt vniuerſaliter negarit, id fieri? Eâdem proculdubio ratione, qua in locis omnibus in hac epiſtola adductis lapſus eſt, nimia ſcilicet Præceptori tuo contradicendi cupiditate. Quare cenſeo, non meliùs profectò, non æquiùs hanc epiſtolam me poſſe concludere, quàm ſi iiſdem in hunc hominem vtar verbis, quibus confidenter ipſe in

Ma-

Magiſtrum tuum vſus eſt pag. 342. his nempe *Nimium eiuſdem contradicendi ſtudium obſcurum peperit iudicium. Cardanus idcirco reprehendit Veſalium, quod nimis Galeno „ contradiceret.* „ Vnum, *inquit*, & præcipuum, in quo „ Veſalius errat, eſt nimia Galeno contradicendi cupi- „ ditas; adeò vt more canum, qui capras per rupes ſe- „ quuntur, dum alios nimis auidè impetit, ipſe corruat.„ *Ita ſe geſſit noſter, adeoque mirum non eſt, ſi ceciderit.*

X. Dum verò, vt epiſtola tranſcribatur, folia, in quorum vno vna die vnam eiuſdem partem, in alio alia die, vt fit, aliam eiuſdem partem conſcripſeram, in vnum cogo, totamque epiſtolam relego; cùm multa alia, tum duo præſertim non ſinè aliqua admiratione nunc primùm in eadem animaduerto. Alterum eſt ipſius moles, quæ; quanquam prolixam ſatis epiſtolam me ſcribere, exiſtimabam; longè tamen vincit opinionem meam in tantum, vt vix poſſim concipere, quomodò per hos dies, in quibus à re domeſtica, & medica nullum, aut certè exiguum mihi otium fuit, tam multa potuerim (ineptè licet, vt ſoleo, & magis etiam, quàm ſoleo) tam celeriter chartis mandare. Alterum eſt neſcio quid feruoris, neſcio quid ſubacris aſperitatis, quod in pluribus epiſtolæ huius locis extare mihi videtur, atque eminere; Et hoc quidem in multò maiorem admirationem me trahit, reputantem, vnde factum ſit, vt qui ab omni ſermonis ardore, & aſperitate natura ſemper abhorrui, ita aliquando in hac epiſtola ſcribenda incaleſcere potuerim. An cauſæ bonitas vti animum, ſic feruorem quendam, & impetum addidit? An potiùs ipſa *Vigiliarum* lectio hoc me vitio ſenſim infecit? Anne veriùs tot lectæ in *Vigilijs* nugæ, tot infirmiſſimæ, maximiſque erroribus innixæ obiectiones, eædemque; vt verum dicam; non ſolùm ſuperbè, atque exultanter; ſed amarè adeò, imò contumelioſè in immeritum Præceptorem

tuum

tuum iactatæ animos etiam magis lenes, atque composi-tos commouere possunt, & præter morem accendere? Scio quidem, in hoc genere scribendi, ardorem, & acredinem quandam pro vitio non haberi; maximè si pro Modestissimo, atque Amplissimo Viro contra hominem scribatur, qui amarissimè lacessiuerit; & quidem si non iniurià; vt in Vigilijs factum est; sed iure, atque ratione scribatur. Sed quanquam hæc scio, Antonine; mihi tamen ea res, quæ instituto, imò ingenio meo repugnat, nunquam plenissimè probari potest. Quò fit, vt te etiam, atque etiam obtester, ne vel ipsis tuis sodalibus hanc epistolam legas, in qua non solùm, ob scribendi celeritatem, meam diligentiam, & studium, & stylum ipsum; qualia hæc cunque sunt; sed ob insolitum nescio quem ardorem, meam quoque illam, quam vnicè amant, facilitatem, lenitatemque desiderari posse, sentio. Quòd si cum vno, aut altero ex interioribus amicis eandem communicare omnino volueris; illud saltèm per tuam fidem, & per amicitiam nostram caueto, ne vlli vnquam ipsius epistolæ potestatem, & copiam facias. Cur hoc solicitè adeò contendam, non erit tibi ita arduum diuinare, scienti præsertim, quantùm mihi quies cordi sit, & imperturbata ratio studiorum; quantùmque alijs è contrario gratæ sint turbæ, & conuicia, & inprimis pertinax, & insuperabilis ista garrulitas, per quam ijsdem licet in quacunque disputatione semper vltimos esse, qui scribant, quasi non Aduersariorum rationes; sed Lectorum patientiam sibi vincendam proposuissent. Ego enim omnino (non possum apertiùs tecum loqui) omnino, inquam, lites nolo; tantò minùs huiusmodi lites, & cum huiusmodi ingenij aduersarijs. Iam verò ad nostrum illud commune negotium quod attinet, in tam prolixa epistola, aliquid, vt constitueram, addendi non est locus. Multa interim de eodem cum Singulari isto Adolescente,

ſcente, qui librum tibi, & epiſtolam quamprimùm reddat, nudiustertiùs communicaui, quæ tibi oretenus referat; alia ipſe poſt tres, arbitror, hebdomadas præſens præſenti narraturus. Interim Fabricius meus, cæterique filij auere te iubent. Vale, Optime Antonine, & me, familiamque meam amare perge; ſi nos credis idem facturos.

Dabam C..... poſtridie Idus Februarias 1705.

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGE.

Pagina.	*Linea.*		
12	16	collectos	collectas
20	16	qui	quem
26	4	ipſæ	ipſe
28	18	præſtare	præſtaret
31	19	*vobis*	*nobis*
47	35	tutas	tutæ
55	9	*Miſſam*	*miſſam*
60	18	factarum	fractarum
66	14	eiuſmodi	huiuſmodi
70	11	fauentem	facientem
ibid.	20	p. 322.	p. 332.
79	vlt.	concedam	concedendam
80	8	quas	quæ
ibid.	10	ſuo	tuo expoſita expoſitæ
83	1	*geometreo*	*geometrico*
84	7	p. 293.	p. 295.
ibid.	22	Hippocratæ	Hippocrate
90	28	vtilitatis	vtilitates
105	30	conſueuiſſet	cenſuiſſet
107	10	iaciuntur	iaciantur
117	10	aliæ	alias
119	17	vera	certa
131	31	inuenias	inuenies
135	21	laudabilis	laudabis
143	21	vtcumque	vtrumque
144	14	complectantur	complectamur
188	13	*ſoli*	*ſolos*

Cætera ipſe Lector pro ſua benignitate; & prudentia emendabit.